Edinburgh, the 9. day of
October, 1687.

IT is Ordered by the Lords of His *Majeſties* Privy Councill, That no Printers, Stationers, Merchants, or others, Print, Reprint, Import, Sell, or diſperſe a Manual entituled, *Rhetoricæ Compendium*, compoſed by Mr. *James Kirkwood*, School-Maſter at Linlithgow, in whole or in part, or any Edition thereof, in what Form ſoever, for the ſpace of nineteen years, after the date hereof, without licence of the ſaid Mr. *James*, his heirs or aſſigneyes, under the penalty of two thouſand Merks *Scots*, to be payed by each contraveener, the one half thereof for His Majeſties uſe, and the other half to the ſaid Mr. *James* or his foreſaids, beſide the confiſcation of the Books ſo printed, imported, ſold or diſperſed, and making up what loſs and dammage the ſaid Mr. *James* or his foreſaids, may ſuſtain thereby: Extracted by me,

Al. Gibſon Cls. Sti. Concilii.

Edinburgh, the 9. day of
October, 1687.

IT is Ordered by the Lords of His *Majeſties* Privy Councill, That no Printers, Stationers, Merchants, or others, Print, Reprint, Import, Sell, or diſperſe a Manual entituled, *Rhetoricæ Compendium*, compoſed by Mr. *James Kirkwood*, School-Maſter at Linlithgow, in whole or in part, or any Edition thereof, in what Form ſoever, for the ſpace of nineteen years, after the date hereof, without licence of the ſaid Mr. *James*, his heirs or aſſigneyes, under the penalty of two thouſand Merks *Scots*, to be payed by each contraveener, the one half thereof for His Majeſties uſe, and the other half to the ſaid Mr. *James* or his foreſaids, beſide the confiſcation of the Books ſo printed, imported, ſold or diſperſed, and making up what loſs and dammage the ſaid Mr. *James* or his foreſaids, may ſuſtain thereby: Extracted by me,

Al. Gibſon Cls. Sti. Concilii.

An Advertisement.

MR, *Kirkwoods* Rhetorick, printed at *Edinburgh*, and the third Edition of his Grammer and Rudiments, printed at *London*, are to be sold by *Mr. George Leslie*, and *Archibald Hyslip*, Stationers in the *Parliament* Closs.

RHETORICÆ *Compendium;*

Cui ſubjecta eſt de

ANALYSI *Tractatiuncula.*

Authore *JACOBO KIRKWODO,* Dumbarenſi.

Quicquid præcipies, eſto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Horat.

EDINBURGI,
Excudebat Hæres Typographi Regii. Proſtant venales (una cum tertia Grammatices editione *Londini* impreſſâ Typis *G. Godbid*) apud *D. Georgium Leſly*, & *Archibaldum Hyſlip*, Bibliopolas in Area *Parliamenti*. *An. Dom.* MDCLXXVIII.

BODLEIAN
-7 DEC 1965
D
LIBRARY

Ampliſſimo, Potentiſſimo, & Celſiſſimo,

PRINCIPI,

IOANNI,

Lauderdaliæ Duci, *Marciæ* Marchioni; *Lauderiæ*, & *Gilfordiæ* Comiti; Vice-Comiti *Metellano*; *Thirleſtani*, *Muſſelburgi*, *Boltoni*, *Peterſhami*, &c. Domino; à Secretioribus in utroque Regno Conciliis, & Scoticanis, *Præſidi*; Regni Scotiæ *Soli Secretario*; Nobili Regis *Cubiculario*; Nobiliſſimi Ordinis aureæ Periſcelidis *Equiti*, &c. Clariſſimæ, & Antiquiſſimæ *Metellanorum* Gentis *Phylarcho*; ſummo ſui ſæculi *Ornamento*; & longe maximo Patriæ *Decori*, & *Præſidio*; literatorum omnium *Literatiſſimo*; Muſarum *Patrono* Munificentiſſimo; *Mecœnati* ſuo nunquam ſatis ſuſpiciendo.

Munuſculum hoc Literarium, tanquam grati animi ſignum D. D. C. Q.

JA. KIRKWOOD.

EPISTOLA
ad Lectorem.

Cum *secundo* Grammaticam *ederem*, Lector benevole, *admonui, complures, tum coram tum per literas rogasse, ut* Rhetoricam *etiam in lucem emitterem.* Quando (*inquiebant illi*) quartam Despauterii partem, quæ Rhetoricæ saltem umbram quandam continet, à Grammaticæ provincia eliminasti, tuâ interesse videtur in illius vicem aliam substituere. *Adjeci* Orthographiam *Grammaticæ partem summe necessariam; de qua ne vel syllaba apud* Despauterium: *unde officio satis junctus mihi visus sum. Cum tamen iterum, atque iterum urgerent; statui ipsorum desiderio aliqua ex parte satisfacere. Interea, fortè fortuna,* Edinburgi *incidi in virum quendam in hisce studiis versatissimum. Inter alia dum hac de re fieret sermo; extemplo is quasdam ex pera depromsit schedas, in quibus Rhetoricam plenè & perfectè delineatam vidi; & si ex ungue leonem dijudicare licet, (nam pagellam tantum unam, atque alteram mihi perlegit) satis arridebat. Gratulatus amico,* non est, *inquam*, quod ego huic incumbam studio; hanc tuam, in lucem emitte; quantum ego video, paucis displicebit. Utcunque (*addebam*) per duos deinceps annos hac de re ne vocula quidem scribam. *Ex eo tempore singulis fere diebus expectabam, ut liber ille in publicum prodiret. Author, ut videtur, præ oculis habet vetus istud dictum,* Nonumque prematur in annum. *Tandem, cum elapsum*

um esset biennium, nec interim me urgere desisterent, u
aliquid hac in re præstarem, operi manum admovi ; &
hanc, quam vides, Rhetoricam exaravi. Si arriden
utere : sin minus ; sepone : non obtrudimus.

Sed, quid opus, inquies, hujuscemodi libellis ? Sa-
tis, superque jam habemus ; Talæum, Brunum, Vos-
sium, &c. Talæus *mutilus & mancus est : de* Inven-
tione & Dispositione *nihil apud eum reperias : neque*
te latet, has apud doctiores Rhetoricæ partes haberi
D. Brunus *nostras vir certe summa laude dignissimus*
hasce quidem partes una cum reliquis luculenter tracta-
vit. Multis tamen displicet ejus methodus ; quæ a
omnibus quas vidi longe diversa est. Miror etia
argumentationum sedes ab eo non esse definitas, ut vide-
ist, Cap. 6. 7. &c. lib. 2. Prætrea, ut aperte indice
pag. 113. *præsumit discipulos multa jam de figuris didi-*
cisse ; idcirco non pauca silentio transit, quæ ad Rhet
ricam attinere fatetur. Atque hæc mea, si methodu
respicias, ab ejus Rhetorica toto cœlo differt, compl
quidem exempla ab illo habeo. Quod ad Vossium *attine*
quæro an libellum istum intelligas, qui Vossii elemen
Rhetorica *audit, cui accessit Compendium doctrin*
Talæi. *De hoc consule ipsum Authorem in epistola a*
Lectorem ; (Editione Londinensi, *typis* Ioan. Red
mayne, *an.* 1670. *nam quæ apud nos imprimitur, nulla*
habet præfationem) jejuna (*inquit*) hic omnia & pla
arida ; *ideoque ad partitiones suas oratorias Lector*
remittit. In hisce elementis de Inventione fere nihil,
Dispositione parum admodum reperias. De Tropis qu
dem & Schematis luculenter satis. Addidit tamen, nesc
quis mortalium, Compendium doctrinæ Talæi *de Tro*
& Figuris : num sapienter, judicet Lector. Quod
majores Vossii *Rhetoricæ tractatus intelligas, in tua*
sententiam pedibus eo. Fateor, inquam, hujusmo
compendiolis, quale est hoc meum opus non esse, modo
tempus majore uti liceret. Sed, ah, ea plerorumque

rentu

rentum est inscitia, (ne pejus dicam) ut filios Grammaticam vix bene emensos ad Academiam promoveant. Hinc majores Rhetoricæ tractatus perlegere, nedum ediscere, non licet.

Hic obiter mecum lugeas, benigne Lector, *tantam parentum imprudentiam; quod tam enixè studeant, ut liberi sui Grammaticam calleant, & latine loqui sciant, cum interim nihil pensi habeant, num Rhetoricæ præceptis imbuantur; quanquam hæc toto vitæ cursu omni fere hominum generi sit admodum necessaria; illa vero paucis solummodo, nec tantopere requisita. Hac uti necesse est verbi* Divini *præcones, in quacunque lingua verba faciant: hac ad exteras nationes legatos, hac jurisperitos, & causidicos omnes indigere in consesso est. Hanc scias oportet; si bellum, vel cum cive, vel cum hoste, gerendum dissuadeas; aut pacem faciendam existimes. Hinc est, quod nonnulli sua eloquentia, castra, arces, & urbes munitissimas expugnarint, ubi summa militum virtus, ingentes belli apparatus & multa machinarum genera parum valebant. Hinc etiam fuit quod* Græcorum *Duces, non* Ajaci *fortiori, sed* Ulyssi *facundiori,* Achillis *arma tribuerint.*

Ovid. 13. *Met.* ——— Et quid facundia possit,
Tum patuit; fortisque viri tulit arma disertus.

Quid multis? Rhetoricæ præceptis instructus innoxium amicum à morte sæpe defendas; inimici injurias repellas: hinc cognatos & affines; notos & ignotos, ad virtutem & pietatem sectandam, & vitium fugiendum opposite, & potenter horteris, & impellas. Quid quæ hic præstat Grammatica? Quid linguæ Latinæ notitia? illa pauci; illa raro utimur. Sed ad rem.

Licet satis temporis majores revolvendi Rhetoricæ tractatus concederetur; incommodum tamen non est hujusmodi extare compendia; ne juventus in initio nimia præceptorum multitudine confundatur. Hæc cum intellexerint facili negotio majora systemata percurrent.

Regeres

Regeres præterea, multa hic tractari (præcipue generali inventionis doctrina) quæ ad Dialectica *pertinent. Ita volunt quidam; sed complures docti liter sentiunt: & omnibus notum, idem diverso respectu ad diversas pertinere scientias, huc, quatenus ad persuadendum conducunt; ad Dialecticam seu Logicam quatenus ad veritatem indagandam conferunt.*

Sed pueri, inquies, hujusmodi vocabula (Causa, Effectum, Forma, Materia, Efficiens, Finis, Subjectum, Adjunctum, *&c.*) *intelligere non possunt, donec Dialecticam didicerint. Miror sane, te ex Grammaticæ provincia non exterminare istiusmodi Technologemata* (Aptòton, Monoptòton, Diptòton, Triptòton, Tetraptòton: *imo & hæc,* Zeugma, Protozeugma, Mesozeugma, Hypozeugma, Synecdoche, Cacoriteton, *&c. donec discipuli Græcas calleant literas. Atque hæc priora (forte dices) non jam docentur. Cur ergo muntur? cur, inquam, ex albo Grammaticæ non punguntur? Novi quidem à doctioribus sicco tran pede; ab aliis vero tanquam præcepta summe necessa inculcari. Atqui, & hæc posteriora doctissimus S ctius, qui in aliis scientiis versatissimus, in hisce studiis sui seculi princeps habebatur,* Monstrosos tum Grammaticorum partus *appellat, Lib. 4. Præt hæc mea, latina sunt vocabula; tua exotica: ut o tam quod tua in ipso Grammaticæ principio (pa primæ partim secundæ partis) pueri doceantur; quum mea non prius quam integram emensi fuerint Gramm cam. Postremo, licet ab istis vocabulis argumenta persuadendum idonea non deduxissem, commodum ta erat hic explicari. Quo, quæso, alio pacto intelli pueri figuras hasce* Metonymiam, Synecdochen, *per quas ponitur* Causa *pro* Effecto, Subjectum Adjuncto, *&c. Quis non videt admodum hic esse n sarium, ut intelligatur, quid sit* Causa, *quid* Effectum, *quid* Subjectum *&* Adjunctum.

Ob

Obiter hic scias, amice Lector, *me hanc habuisse servationem à viris quibusdam doctissimis in* Catha-esia, *extrema* Scotiæ *regione, qui ibidem loci convene-nt, ut de prima Grammaticæ meæ editione consulta-nt. Ex iis* D. Gul. Geddes, *V. D. M. vir eruditissi-us, &, ut audio, pius & gravis, reliquorum nomine e certiorem fecit, quæ in Grammatica conventus ille obaret, quæ non: hortabatur præterea, ut Rhetori-m etiam delinearem; & inter alia, jussit, ut hæc cabula* (Causa, Forma, *&c.*) *definirem & explicarem. istola hæc integram schedam, & dimidium continens, ta erat* WICK. 1. *Decemb.* 1674. *quam cum mille a-is ab omnibus regni partibus hac de re ad me missis dendi copia petenti non negabitur.*

Atque hic, Viri humanissimi, *vobis omnibus & sin-lis quam maximas, habeo, & ago gratias, quod ad scribere dignati sitis; quo tam necessarium, & tam le opus promoveretur. Vestras singulorum observationes uo certè animo tuli: nec quicquam mihi gratius ac-lere potuit, quam scire, quæ vel deleta, vel suppleta, in melius emendata, volueritis. Horum omnium in bus proximis editionibus usque adeo rationem habui, tiamsi ipse aliter sentirem, in vestram tamen* Plurium *entiam pedibus iverim, licet privatis singulorum iciis satisfacere non potuerim: cum ibi plerunque,* ot capita, tot sint sententiæ. *Me autem hoc præ-isse, vel hinc solummodo liquet; quod integram nam partem, quæ prius soluta constabat oratione, c (quoniam sic volunt plerique) ligata delinearim; in animadversionibus contra* Despauterium, *inter de metro etiam sim graviter questus. Sed ad propo-n revertamur.*

egerent forte alii, complura hic desiderari, quæ Rhetoricam pertinent; & multa concisè nimis, & i oratione tractari. Scias, amicissime Lector, *Rhetoricæ compendium tantum esse: mirum igitur*

non

eon eſt, multa hic omitti, quæ in majore tractatu re
cias; & multa carptim, & conciſe doceri, quæ fuſe,
luculenter in perfecto & pleno opere explicari ſole
Num vero officio ſatis ſim functus, (ſi operis natura,
Authoris propoſitam reſpiciantur) lectoris eſto judici

Poſtremo, nonnulli forte putabunt multa huic in
tractatui, quæ nulli ſunt uſui; vel ſaltem plus moleſti
& laboris; quam fructus, & emolumenti, lectori ad
runt. Fateor equidem, ejuſmodi complura eſſe; quæ
tinam ex ſcholis eliminarentur. Paregmenon, Par
zeſis, *ſeu* Parecheſis, Apodioxis, *cum multis aliis p*
nos ex Rhetoricæ provincia expunguntor: quæ tam
quorundam adducti authoritate, hic deſcripſimus.
tibi non arrideant, ſicco tranſeas pede. Ne nos mor
at, quod aliis placeant. Vides, Græcas haſce voc
latine etiam à nobis reddi. utramlibet eligas; Gr
cam vel Latinam; Merabaſin, *vel* Tranſitionem; Er
tema *vel* Interrogationem, *dicas. Quaſdam fatt*
eſſe, quæ ſive græce, ſive latine proferas, parum ad re
faciunt. O fortunatam natam me conſule Roman
Parezeſin *ſeu* Aſſeſſionem *hic eſſe dicunt; quia ſcil*
cet una vox in alia continetur, vel potius una alii a
det; Natam in fortunatam. *Cur non & hic,* Mem
me vidiſſe Parezeſin *eſſe dicas? Iſtud nunquam in me*
tem venit. utinam nec illud. Sed omiſſis hiſce, tand
orationi finis imponatur.

RHETO

RHETORICÆ *Compendium.*

INTRODUCTIO.

RHetorica est ars bene dicendi de re qualibet.

Dicitur *Ars*, seu *Facultas*, nostro labore acquisita, non nobis innata, & naturalis; secundum illud, *Fimus oratoris, nascimur Poëtæ.* Multi tamen à natura habent ut eleganter, & expedite loquantur: sed, ubi deficit natura, perficit Ars.

Bene dicere est apposite, ornate, & prompte loqui.

Dicere est non solum vivâ voce aliquid proferre, sed etiam scribere: sic absentes, & mortui dicunt: nam in mortuorum scriptis non minus, quam in orationibus vivâ voce prolatis elucet hujus artis dignitas.

De re qualibet agit orator: nihil enim est, de quo non possit fieri oratio. De monte, vel, musca verba dictas; hanc vituperes, illum laudes.

Finis oratoris est persuadere.

Officium videre, quæ ad persuadendum conducant.

Illud, de quo agit orator, dicitur *Materia*, *Thema*, *subjectum*, *Argumentum*, vel etiam *Quæstio*, cum dubium vocatur. Thema

Thema est,

1. Simplex, vel Compositum: Simplex, uni vox; ut, *Angelus*, *Homo*, *Equus*. Compositum est tegra enunciatio; ut, *An Angeli sint colendi? homo præstet reliquis creaturis?*

2. Speculativum, vel Practicum: Speculativ quod contemplari tantum licet; ut, *An Angeli cerint mundum?* Practicum, circa quod versari p sumus aliquid faciendo; ut, *An fides sit servan hæreticis?*

3. Finitum, vel Infinitum: Finitum est singul aliquid, & determinatum; ut, *An Milo jure inte merit Clodium, qui insidias struxerat.* Infinitum nerale, & indeterminatum, ut, *An liceat insidiato interficere? hoc Thesis, illud Hypothesis* appellatur.

Omne thema, seu subjectum est, vel persona, res intelligens; ut, *Deus*, *Angelus*, *Homo*: vel fact ut, *Crucifixio Christi*: vel denique res; ut, *Sol*, *Lu Mons*, *Fluvius*, *Equus*, *Canis*, *&c.* Sunt, qui *Equ Canes*, & hujusmodi animalia, *quasi Personas* pellant.

Thema tribus modis tractatur.

1. Laudatur, aut vituperatur aliquid.
2. Suadetur, aut dissuadetur.
3. Accusatur, vel defenditur.

Hinc tria oriuntur causarum genera; *sc.*
Demonstrativum, quo laudamus, vel vituperam
Deliberativum, quo suademus vel dissuademus,
Juridiciale, quo accusamus, vel defendimus.

Idem thema ad diversa aliquando pertinet gene sed sub vario respectu. *e. g.* Oratio, in qua pax l datur, & illius commoda, & emolumenta demonstr tur, est in genere demonstrativo; sed ubi sua pacem cum hoste faciendam, in genere deliberati

Ad hæc tria genera reducuntur orationes *Comm latorie*, *Expostulatorie*, *Consolatorie*, aut siquæ ali

t in oratione expostulatoria si quem accuses, quod efandum patrarit facinus, partim est in genere juriiciali, partim in demonstrativo; quia nimirum ipsum vituperas.

Diligenter advertendum, in quo consistat quæstionis status; seu quid sit, de quo controvertitur: quod mprimis in genere juridiciali cernitur, ubi quâruplex habetur quæstionis status; *Conjecturalis, Finitivus, Qualitatis, & Quantitatis.*

1. Quæritur, num aliquid factum sit, necne; *v. g. Num Milo interfecerit Clodium?* hic appellatur status *onjecturalis*; quia conjecturæ datur locus.

2. De nomine, & definitione facti movetur quæstio: *. g. Fatetur Milo se Clodium interfecisse; negat tamen e homicidam appellandum, aut homicidii reum esse; uippe jure id fecit.* Status ergo quæstionis est, *jurene, n injuriâ Clodium interemerit Milo?* Atque hic *initivus* dicitur; quia legibus definiendum est, quid ure, quidve injuriâ fiat.

3. Quæritur, quale sit factum, bonum, an malum; audandum an vituperandum. Atque hic *qualitatis* tatus nuncupatur; quia de facti qualitate quæritur.

4. De rei magnitudine disceptatur; num sc. factum liquod sit magnum, an parvum; leve, an grave: t, si in quæstionem veniret, *num primam Adami ccatum de esu fructûs vetiti grave esset, an non.* tque hic *quantitatis* status appellatur; quia de cti quantitate contenditur.

RHETORICÆ PARTES.

Partes Rhetoricæ sunt quatuor; argumenta *invenire* nventa *disponere*, disposita *exornare* & exornata *prounciare*; quæ sic appellari solent, *Inventio, Dispositio, locutio & Pronunciatio.*

Verum *Elocutio* non videtur vox huic loco propria commoda; dicerem potius *Elegantia* vel *Exornatio.*

De INVENTIONE.

Lib. 1.

INventio est excogitatio argumentorum, quæ sit ad persuadendum idonea.

Argumentum est artificiale, vel inartificiale.

Artificiale est, quod ex sua natura arguit.

Inartificiale, quod dicentis solummodo authoritate innititur.

De inventione argumentorum artificialium.

Argumenta ducuntur ex certis quibusdam argumentationum fontibus, quos vulgo *Locos* appellant.

Loci sunt absoluti, vel comparati.

Absoluti sunt consentanei, vel dissentanei.

Consentanei sunt, *Causa*, *Causatum*, *Subjectum*, *Adjunctum*, *Antecedentia*, *Concomitantia* & *Consequentia*.

Dissentanei sunt *Disparata*, seu *Diversa*, *Relativa*, *Privativè opposita*, *Contraria* & *Contradicentia*.

Comparati, sunt, *Par*, *Impar*, *Majus*, *Minus*, *Simile*, *Dissimile*.

DE CAUSA.

Causa est, cujus vi res est.

Estque *Efficiens*, *Materia*, *Forma*, vel *Finis*.

DE CAUSA EFFICIENTE.

Efficiens est, a qua res est; ut *Cathedra fit a fabro*. Estque.

1. Sola, vel socia: sola quæ sine socia effectum producit; ut, cum unicus equus currum trahit: socia quæ una cum aliis efficit, ut cum, duo vel plures minùs domum ædificant.

2. Est principalis, vel minus principalis, seu adjuvans & instrumentalis. Principalis est, cui laus principua in actione aliqua attribuenda est, ut, in domo construc-

onſtructione architecto ſumma laus eſt aſcribenda; uippe qui principalis ſit operis cauſa. Minus princi-alis, ſeu adjuvans ſunt cauſæ huic ſervientes; veluti peris miniſtri & ſervi.

3. Spontanea, vel coacta: ſpontanea, quæ ſponte, & liberè agit; ſic Chriſtus ſponte mortem pro nobis ubiit: coacta, quæ principio externo, ſeu ab extrin-eco efficit; ut ſi quis de rupe ab alio præcipitatus in-erficeret prætereuntem. Huc reducantur *Per ſe*, & *Per accidens*; *Libera*, & *Neceſſaria*.

4. Conſcia, vel inſcia: conſcia cum quis ſciens & olens aliquid perpetrat: inſcia è contra.

5. Proxima, vel remota ſic avus eſt cauſa remota, ater proxima filii.

6. Procreans, conſervans, vel corrumpens; ſic pa-er eſt cauſa procreans filii; nutrix conſervans, eccatum Dei in homine effigiem corrumpens.

Ex omnibus iſtis locis argumenta eruere licet.

A cauſa efficiente laudatur poculum apud Virg. c. 3. ex eo, quod factum eſſet ab *Alcimedonte* fabro eritiſſimo.

A cauſa ſolitaria; ſic laudare poſſes Dei potentiam x eo, quod is ſolus univerſam rerum machinam fe-erit. Laudatur Chriſtus, quod unicus ſit hominum edemptor.

A ſocia laudari poſſet ingens aliquod opus ex eo, uod ab uno fieri nequeat, ſed multos requirat; ut, ſi iceres Arcadiæ apros ſine dubio maximos fuiſſe, ia oportebat univerſos fere Græciæ Proceres ad os opprimendos convocari.

A cauſa principali; ut, ſi Deum laudares ex eo, od ſit omnis boni fons, & origo, hunc in modum, *uges ex terra naſcuntur, terra à nubibus rigatur, nubes avi & fluminibus Solis virtute exhalantur, ſol hanc à eo virtutem habet, Deus à nullo; cum omnis boni ſit incipium, & origo.*

A minus principali; ut, ſi factum aliquod ex eo v tuperes, quod non à cauſa principali fiat. *e.g.* Si qu tyro veſtem, aut ejuſmodi aliquid concinnaret, min bona, & apta haberi poſſet, quam ſi à perito, & e perto artifice fieret. Huc reducas cauſam inſtrume talem; ut, ſi quis dicat, *vil mirum te ſcitè pingere; q bonam habeas pennam, bonam chartam:* vel, *ſuavi canere, qui elegantem habeas fiſtulam.*

Ab adjuvante ſic arguas; *facile tibi eſt opus perfici cum tot ſint, qui tibi ferant opem.*

A ſpontanea; ſic laudatur Dominus noſter; qu ſponte mortem pro nobis obierit.

A coacta; ut, ſi quem excuſes ex eo, quod coacti aut invitus quid fecerit: ſic apud Virg. Æneas di ceſſum ſuum excuſat;

——— maria omnia juro
Invitus, Regina, tuo de littore ceſſi;
Sed me juſſa Deûm, &c.

Huc refer *Per ſe* & *Per accidens*; ut, ſiquis ex pr poſito, & de induſtria quid mali perpetrat, grave m retur ſupplicium; at ſi caſu, aut forte fortunâ illi e ciderit, excuſationem potius, quam pœnam m retur.

A conſcia, ut, qui peccatum ſciens & volens co miſerit, merito puniendus eſt.

Ab inſcia ſic arguit Apoſtolus: *miſericordiam c ſecutus ſum, quia ignorans feci*, 1 Tim. 1. 13.

A proxima; ut, ſi quem laudares ex eo, quod fa alicujus ſit cauſa proxima; quod ſc. propriis ege viribus; ab alio non impulſus, nec forte ſuaſus, auct ſtructus.

A remota ſic arguere licet; Quanvis ipſe non gerim, author tamen, & impulſor ſui.

De MATERIA.

Materia eſt ex qua res eſt; ut Poculum fit ex gemmo, aut ligno.

Mater

Materia eſt proxima, aut remota.

Proxima eſt, ex qua res immediatè fit; ſic corpora noſtra ex carne & oſſibus conſtant.

Remota, ex qua mediatè fit: atqui ſic corpus humanum ex pulvere ſeu terra conſtare dicendum; quia primus homo ex terra fuit creatus.

A materia proxima argumenta adducit Ovidius, lib. 2. Met. Ubi ſolis regiam à materiæ dignitate ſummopere laudat;

Cujus ebur nitidum, &c.

Et Paulo poſt Solis currum deſcribens ſic ait;

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Apud Virg. laudatur etiam poculum, quod ex fago factum fuerit; Ec. 3. poculum enim faginum tunc temporis, (apud ruſticos præcipue) magni habebatur.

A remota ſic poſſes argumentari: *Non contemnenda eſt hominis natura, quanvis ex limo terræ creetur.* Vel ſic, *Non eſt, quod ſuperbiat homo, quum non ex argento vel auro ſit creatus, ſed ex pulvere terræ, omnium creaturarum viliſſima.*

DE FORMA.

Forma eſt interna, vel externa.

Interna eſt cauſa; per quam res eſt; ut rotunditas eſt forma globi.

Externa eſt aliquid extrinſecus reiſuperinductum; ut ſunt figuræ, & colores globo inſculpti.

A forma interna ſic argue; *O quanta eſt hominis excellentia, qui anima rationali eſt præditus, tot rerum, & ſcientiarum capaci.*

Ab externa oprime Virg. Ec. 3. de poculo, cui inſculptas ait illuſtrium virorum effigies;

In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter?

De FINE.

Finis eſt, cujus gratiâ res eſt.

Estque ultimus, vel subordinatus; ut, habitatio est ultimus finis ædificatoris; & ædificatio subordinatur habitationi: sic *edimus, ut vivamus; vivimus ut Deo serviamus:* atque ita *servire Deo* est finis ultimus; & *vitius* illi subordinatur, seu subservit.

A fine ultimo sic arguas: *Procul omni dubio homo omnium animalium est præstantissimus; cum reliqua illius causam, seu propter eum sint creata.*

A subordinato sic: *Homine minus digna sunt reliqua animantia, utpote hæc propter illum facta.*

DE CAUSATIS.

Causatum est, quod ex quatuor causis resultat; ut globus à fabro tanquam efficiente conficitur; ex ligno aut ferro velut materia constat; Rotunditas formam & ut eo ludamus, finem efficit.

Causatum vulgo *Effectum* dicitur, ex eo, quod principue à causa efficiente pendeat.

Notandum effectum tot modis dici, quot ipsum causa efficiens: *i. e.* aliud esse effectum causæ procreantis, conservantis, corrumpentis, solitariæ, sociæ principalis, instrumentalis, liberæ, coactæ, &c. Quas appelles *Procreatum, Conservatum, Corruptum*, &c. atque ab hisce omnibus argumenta eruas.

Ab effecto; *homo est laudandus ex eo, quod per eum Deus colatur: non latrat, hoat aut voces edit inarticulatas, ut cætera animalia; sed verbis distinctis Dei laudes celebrat.*

A procreato, & conservato, sic; *Homo non solum rerum cognitionem acquirit, sed & acquisitam conservat.* A corrupto; ut, *Diabolus generis humani hostis est infestissimus, quippe qui illius interitum perpetuo moliatur.*

Ab effecto; causæ solitariæ: *Omnibus animantibus longe præferendus est homo; quia is solus Deum colit, illius opera contemplatur; solus in adversis opem ab eo petit.*

DE SUBJECTO.

Subjectum est, cui aliquid adjungitur.

Estque triplex, *Recipiens in se, Recipiens ad se, & Occupatum.*

Recipiens in se; ut, cum vinum est in poculo, equus in stabulo; morbi in corpore.

Recipiens ad se; ut, cum vestes & arma corpori adhærent, & tapetes parieti appenduntur.

Occupatum; sic homo est subjectum legis divinæ; quia circa illam occupatur meditando: sic anima est subjectum omnium rerum scibilium; quia circa illas versatur: item homo dicitur subjectum divitiarum, pecuniæ, agri, &c. quia hæc curat, & in his occupatur.

A subjecto in se recipiente, seu inhæsionis sic arguas; *Rationalitas est præstantissima qualitas; quia rebus præstantibus convenit, sc. Deo, Angelis & hominibus.* Vel sic; *Vegetatio & sensus, vulgares tantum sunt qualitates; quia etiam brutis conveniunt.* Vel sic; *Facultates edendi, bibendi, cursitandi nos a belluis non distinguunt, atqui sublimis ratiocinandi facultas, quâ præditi sunt Angeli, imo ipse Christus, Dei filius, istud præstat: hinc merito gloriari licet.*

A subjecto ad se recipiente seu adhæsionis sic arguere potes: *vestis splendida non est vituperanda; quandoquidem viri etiam pii eâ fuerint induti; qualis Aaron summus Dei pontifex.*

A Subjecto occupato; sic, *Homo a bellua plurimum differt; nam is versatur circa res nobilissimas, sc. ipsum Deum, & res cœlestes:* vel; *nam est vultu erecto, ut cœlestia corpora contempletur.*

DE ADJUNCTO.

Adjunctum est, cui aliquid subjicitur; sic omnia bona animæ, vel corporis sunt ipsorum adjuncta:

animæ; ut, *scientia, ignorantia*, &c. Corporis, ut *sanitas, morbus, robur, imbecillitas*, &c.

Adjunctum est vel *inhærens, adhærens*, vel *occupans*; quæ facile ex iis, quæ de subjecto diximus, intelliga. Inhærens, ut sapientia inest animæ; adhærens, ut vestis corpori; occupans, ut lex divina est adjunctum viri sancti, quia de ea meditatur.

Ab adjuncto inhæsionis sic argue: *magni habendi sunt, quos multarum rerum scientiâ præditos videmus*: vel sic: *Miramur psittacum si possit vel pronunciare AVE CÆSAR; equum, si horum suum dignoscere; canem si nomine audito accurrere: quin igitur miramur hominem, qui ipsum Deum rerum omnium creatorem laudare & celebrare possit?*

Ab adjuncto adhæsionis argumentatur Virg. lib. 6. Æn.

Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur!

Ab adjuncto occupante, sic: *Est ille voluptatibus admodum deditus; nam animus semper est in patinis.*

Navita de ventis, de tauris narrat arator.

DE ANTECEDENTIBUS.

Antecedentia sunt, quæ tempore sunt priora: ut diluculum prius est solis ortu.

Hinc argue: *Nondum diescit; nam non ortus est phosphorus, seu lucifer.* Vel, si diceres, *Deum hominis bonitatem ita consuluisse, ut non in mundum vacuum introduxerit, sed omnimodâ supellectile instructum.*

DE CONCOMITANTIBUS.

Concomitantia sunt simul tempore: verum simul tempore non ita hic sunt accipienda, ut tantum intelligamus illa, quæ in eodem existunt momento, sed etiam illa, quæ comites, & quovis modo sunt connexa.

Atque hinc inferas *hominem animal esse præstantissimum, ex eo, quod Angelos habeat custodes, & comites*

DE CONSEQUENTIBUS.

Conſequentia ſunt, quæ tempore ſunt poſteriora; ſic ortus ſolis ſequitur auroram.

Hinc colligunt, *Davidem non cupiviſſe Saulis mortem; quia poſtea defunctum lugebat: nec Cæſarem Pompeii; quippe qui, cum illius caput abſciſſum cerneret, lacrymaſſe dicatur.*

Hactenus de locis Conſentaneis, ſequuntur Diſſentanei.

De DIVERSIS.

Diverſa ſunt, quæ ſolâ ratione diſſentiunt; ut *pulchritudo & facundia*: ſed *pulchritudo & deformitas* (quæ contraria ſunt) & ratione & re differunt: hæc in eodem ſubjecto ſimul ineſſe nequeunt; illa poſſunt: nullus eſt & pulcher & deformis; (ſecundum idem) ſed forte & facundus, & formoſus.

Hinc colligas; *Licet quis ſit formoſus, non repugnat, quin etiam facundus eſſe poſſit*; cum hæc Diverſa, non Contraria ſint. Vel ut *Ovid.*

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes.

Vel ſic: *Potuit quidem Deus nos creaſſe, non homines ſed aſinos, ſed buſones, aut lapides; & tamen, quæ eſt ſumma ejus in nos clementia, facti ſumus homines, non muti, non cæci, non membris aut mentibus capti, ſed loquentes, ſentientes, & ſacroſancti ipſius Dei imaginem referentes.*

De CONTRARIIS.

Contraria ſunt, quæ & ratione & re diſſentiunt; *i. e.* ita naturâ ſuâ pugnant, ut uni ſubjecto ineſſe nequeant: ſic *calor* & *frigus*, *albedo*, & *nigredo*, &c. In gradibus ſc. intenſis, & ſervatis oppoſitionis legibus: nequit enim idem eſſe & album & nigrum: & nemo & æger & ſanus eſt eodem temporis momento ſecundum eandem corporis partem. Æthiops quidem

dentibus

dentibus albus, ſed cute niger; & ſorte capite dolet, reliqua corporis parte ſatis ſalvus & ſanus.

Hinc firmiſſimum deducas argumentum; negato uno contrariorum ponitur alterum; ut *Petrus non eſt deformis; ergo eſt formoſus: non ægrotat, ergo ſanus eſt.*

Sed cavendum, ne fortè hic ſit medium participationis; ut *Petrus non habet nigros capillos*; non ſequitur, *ergo habet albos*; quia fortè rubros aut flavos, &c.

De RELATIS.

Relata ſunt, quorum eſſe eſt ad aliud referri; vel quæ ſe mutuo reſpiciunt.

Hinc extollitur piorum ſors ex eo, quod Chriſtus ipſorum ſit caput; & quod ipſi ſint cohæredes.

De CONTRADICENTIBUS.

Contradicentia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat in quolibet ſubjecto; ut *homo, non homo; audire, non audire.*

Hinc arguas: *Si is eſt filius Dei, qui verbum ejus audit; qui non audit, non eſt filius: & qui credit, habet vitam æternam; qui non credit, non videbit vitam.*

De PRIVANTIBUS.

Privantia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat in ſubjecto tantum capaci; ut *videns & cæcus, ſanus & æger* de homine.

Hinc firmum eruas argumentum; *Petrus eſt ſanus, ergo æger non eſt. Eſt dies tenebroſus, ergo non lucidus.*

Hactenus de Locis abſolutis, ſequuntur Comparati.

De PARI.

Paria, vel Æqualia, ſunt, quorum eſt eadem quantitas.

A pari ducitur argumentum; cum ab uno ad alterum valet

valet consequentia propter paritatem rationis: hinc Christus dixit, *Judæos sprevisse Patrem, quia ipsum spreverunt.* Vel sic; *si divitiæ honores pariunt, ergo*, à Pari, *paupertas contemptum. Hic inimicum suum accusat; ergo debeo ego amicum meum defendere.* Sed hic à contrariis arguere quibusdam videaris.

Notandum res dici Pares ratione Causæ, Subjecti, Adjuncti, Antecedentium, Concomitantium, Consequentium; ut Homo par est Angelis causâ efficiente, sc. Deo: & forma, sc. Anima rationali: & fine, sc. Gloriâ Dei: & adjunctis, quum uterque Dei cognitionem habeat.

DE IMPARI.

Imparia sunt, quorum quantitas est diversa; ut major & minor globus. Hinc, si quis diceret *duos aliquos scelestos viros eodem supplicii genere afficiendos*; regeras, *iniquum esse, modo hujus facinus illius fuerit atrocius*: si nimirum hic patrem, ille peregrinum hominem interemerit. Sed est hæc quantitas metaphorica & impropria.

De MAJORE.

Majus est, cujus quantitas excedit.

Hinc dicas, *Locus iste rem multo majorem capiebat; ergo hanc, quæ minor est.* Optimè *Virg.* 1. Æn.

O passi graviora; dabit Deus his quoque finem.

Quasi diceret, *O socii, graviora mala superavimus; ergo & hæc minora facile perferemus.*

De MINORE.

Minus est, cujus quantitas exceditur.

Hinc sic arguere licet: *Si pœnâ est afficiendus, qui peregrinum percusserit, quanto magis, qui patrem verberarit.*

De SIMILI.

Similia sunt, quorum qualitas est eadem; sic duo pariete,

parietes similes sunt, si uterque sit albus.

Atque hinc arguere potes, si ab uno ad alterum valet consequentia propter horum duorum similitudinem: ut si dicas, *Deus Jacobum servum suum invocantem exaudiit, ergo & alios fideles invocantes.* Hinc vulgaris ille versus,

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro est experienda fides.

Huc referantur omnia vocabula metaphorica; ut cum astutus vocatur vulpes, quia conveniunt in qualitate, seu sunt pariter callidi.

De DISSIMILI.

Dissimilia sunt, quorum qualitas est diversa; ut *pannus albus & niger.*

Hinc infer; *Alia est hominis, atque Belluarum conditio; his enim servitus, illi dominium obtigit.* Hinc *Virgilius* difficilem ab inferis reditum describit,

——— *facilis descensus Averni;*
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Hactenus argumenta prima, sequuntur à primis orta; sc. *Conjugata, Notatio, Distributio, & Definitio.*

De CONJUGATIS.

Conjugata sunt, quæ ab eodem principio, seu voce primitiva variè deducuntur; ut *Justitia; Justus, Justè,* &c.

Hinc arguunt; *Homo sum, à me humani nihil alienum puto. Si justus haberi vis, justè agas.*

De NOTATIONE.

Notatio est nominis interpretatio: nam nomina sunt notæ rerum; ut *Homo* ab *humo* dicitur; quia fit ex humo: *focus à fovendo,* &c.

Sic autem arguunt: *Homo est; ergo, ex humo fit: focus, ergo, fovet: Consuli, ergo, consulit. Christus mori-*

to dicitur Iesus, i. e. *Salvator, quia salvat populum suum; merito Rex, quia regit.*

De DISTRIBUTIONE.

Distributio est, qua totum in partes dividitur; sic *animal* in *hominem* & *brutum*; *mundus* in *cœlum, terram* & *mare*.

Sic igitur arguas; *Homo sentit, brutum sentit; ergo, omne animal sentit. Cœlum, Terra,* & *Mare à Deo condita sunt; ergo totus mundus.* Vel contra à Toto ad partes: *Animal sentit; ergo homo & brutum.*

Argumenta hæc sunt firmissima, si omnes enumeres partes, alioquin infirma.

De DEFINITIONE.

Definitio est, quæ explicat, quid res sit; ut *animal rationale* est definitio hominis.

Definitio est perfecta vel imperfecta.

Perfecta rei essentiam explicat; Imperfecta, rei proprietates, & circumstantias tantum describit: hinc *Descriptio* nuncupatur; ut *Homo est animal implume bipes.*

Sic autem arguas: *Hic commisit adulterium; nam accessit ad alterius torum.* Vel sic, *Non servavit fidem; quia non fecit quod promiserat.*

Hactenus de Argumento Artificiali, sequitur Inartificiale.

De Argumento INARTIFICIALI.

Argumentum Inartificiale (ut dictum) est, quod non arguit suâ naturâ, sed assumpta vi argumenti alicujus artificialis; qualia sunt Testimonia.

Testimonium est Divinum, vel Humanum.

Divinum est Verbum Dei; & apud Ethnicos Deorum Oracula, & Vatum Responsa.

Humanum est, quod hominem habet authorem.

Estque Commune vel Proprium.

Com-

Commune, quod omnes, vel plerique saltem, asserunt, cujusmodi sunt illustres sententiæ, & jura gentium; ut *Vim vi repellere licet. Legatos & Fecialis non esse violandos.*

Proprium est unius tantum hominis, vel saltem paucorum.

Præterea Testimonium, vel est scriptum, vel non scriptum, cujusmodi est fama vulgaris.

Utrumque, est vel mortuorum vel vivorum.

Mortui vel sunt antiqui, vel moderni.

Postremo, vel est simplex Assertio, vel Juramentum.

Atque hoc fit vel liberè, cum quis sponte fatetur; vel coactim, cum exprimitur tormentis. Quæ omnia facili negotio intelligi possunt.

A Testimonio Divino (i. e. à Dei Verbo) Argumentum est firmissimum; ut si dicerès; *Hoc testatur Moses; testantur Prophetæ & Apostoli.*

Non item à deorum oraculis, & Vatum responsis, saltem apud Christianos: Apollinis oraculo nobis non fidendum.

Testimonium Humanum firmum non est: alia tamen aliis firmiora.

Quod ab omnibus vel plerisque recipitur, fortius arguit, quam quod à paucis, cæteris paribus.

Hinc, quod à sapientibus & doctis, licet à paucis, asseritur, firmius est, quam quod à multis ignaris & indoctis.

Item, quod à bonis & piis dicitur, pluris habetur, quam quod à malis & impiis.

Item Jusjurandum firmius habetur, quam simplex assertio.

Postremo, quod sponte & liberè quis dicit, fortius arguit, quam quod tormentis extorquetur; quia forte cum tormenta pati non possit, mentitur, ut cruciatu citius liberetur.

Hactenus

Hactenus de argumentorum locis, qui Dialecticæ una cum Rhetorica sunt communes, sequuntur Rhetoricæ proprii.

De Speciali Inventionis Doctrina, seu de Locis argumentorum Rhetoricæ propriis.

Loci Rhetoricæ proprii sunt, cum ducuntur argumenta ab *Honesto*, *Inhonesto*, *utili*, *Inutili*, *Faciendo*, *Infaciendo*, *Facili*, *Difficili*, *Possibili*, *Impossibili*, *Magno*, *Parvo*; & reliquis sub hisce comprehensis; ut sub *Honesto* comprehenditur *Justum*, *Pium*, *Glorioſum*, *Decorum*, & similia.

Quomodo ex his ducenda sint argumenta facile ex sequentibus patebit.

Diligenter autem notandum, ex quolibet loco non ducenda esse argumenta quibusvis thematis, seu objectis inservientia: quædam enim generi Demonstrativo, quædam Deliberativo, quædam judiciali solummodo inserviunt: imo nec in eodem genere omne argumentum cuilibet subjecto quadrat; ideoque ex multis ea solum eligenda, quæ præsenti themati maxime sunt idonea.

De ELECTIONE.

Electio est, cum ex multis argumentis aptissima quæque eligimus.

Unde præcipue petantur argumenta in genere Demonstrativo.

Hic primo considerandum utrum subjectum, quod laudandum, vel vituperandum suscipimus, sit *Persona*, *Factum*, an *Res*.

Si sit persona, vel est Deus, Angelus, vel homo.

Est quidem Deus immensus, & infinitè supra conceptus; nedum laudes nostras. More tamen humano Deum laudes à majestate; quod sit æternus: ab æternitate; quod sit infinitè felix: ab operibus quod totam hanc mundi machinam verbo suo creavit:

Laudetur

Laudetur ſumma ipſius potentia, quòd omnia pr
nutu gubernet; ſapientia, juſtitia, & bonitas; quo
improbos puniat, & bonos muneribus afficiat.

Angeli laudentur à natura; quod ſint Spiritus:
naturæ adjunctis; ſcilicet ab intellectu, voluntate
& ſanctiſſimis affectibus; à potentia & agilitate: a
officio; quod ipſius Dei ſint legati, & miniſtri:
ſumma gloria, & felicitate, quâ apud Deum fruuntu

Spiritus autem mali vituperentur, quod Dei bonita
abuſi fuerint; quod impuris, & malignis ſint affect
bus; quod generi humano ruinam ſemper moliantu
& ſelicitatem nobis invideant.

Homo laudatur vel in genere; vel in particular

In genere; quod ſit creatus ad ipſius Dei imagine
animâ ſc. rationali, & immortali prædituſ: quòd do
minium habeat in reliquas creaturas: quòd is ſolu
Deum colat; & ipſius nomen laudibus efferat, &c.

In particulari duplex eſt laudandi methodus; na
turalis, & artificialis.

Atque hic, quoniam frequens eſt illius uſus, pra
cipue in oratione panegyrica, paulo fuſius agemu
quam tamen poſſimus pauciſſimis.

De naturali laudandi methodo.

Laudatur homo in particulari, vulgo percurrend
omnes ætatis gradus, ſeu ſingulas vitæ partes una cu
ſtudiis, exercitiis, moribus & virtutibus partes iſt
concomitantibus.

Trium autem temporum hic habetur ratio.

1. Conſiderandum eſt tempus, quod vitam a
teceſſit.

2. Iſtud, quo quis vixerit.

3. (Modo is, quem laudandum ſuſcipis, fatis
conceſſerit) quod eſt poſt hominis mortem.

In primo conſideranda veniunt, *Patria*, *gen*
Auguria, ſeu *prædictiones*, ſi quæ nativitatem pr
ceſſerint.

In secundo tempore, quod præcipuum est, (nam, quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco) considerandæ sunt in nativitate.

1. *Annus, mensis, dies*, vel etiam *hora*; nempe si quid singulare in iis notandum, ut si die sacro, aut festo quis natus sit; quod apud Ethnicos sæpe fuit observatum.

2. *Locus*: in qua natione, aut civitate; num quis sit *Græcus*, an *Barbarus*; *Italus*, an *Pœnus*; *Christianus*, an *Ethnicus*.

3. Si quid in ipsis cunis notatu dignum eveniat; quale fuit illud, quod *Platoni* accidisse aiunt; cujus ori mel apes insudisse volunt in futuræ facundiæ præsagium.

4. In pueritia consideratur educatio, seu institutio; ubi parentum & præceptorum cura attenditur: præcipue vero personæ, de qua agitur, ratio habetur; illius nimirum in studiis cura, & diligentia præ oculis ponitur; præsertim, si coævos, & æquales omnes anteierit, & superarit: si Parentibus & Præceptori morem gesserit; maxime vero si in puerilibus annis Numinis reverentiâ affectus fuerit.

5. Perpendendum, quæ in virili ætate quis fecerit. Atque hîc primum, & præcipuum obtinet locum personæ pietas; secundum, virtutes; Prudentia nimirum, Temperantia, Fortitudo, justitia, &c. tertium locum sibi vendicant res præclarè gestæ; eximia in Scientiis & Artibus cognitio; singularis in patriam amor; summus in amicos & cognatos affectus; & omnibus benefaciendi studium ardens: quòd de multis bene sit meritus: quot & quos parârit amicos; quantas divitias; & quomodo earum partem haud parvam in pauperes, aut alios pios usus erogarit: quos habeat liberos: quanta cum cura eos bonis moribus & artibus instituerit.

6. De morte agendum: ubi de tempore, causa & genere tractandum; ut, si quis pro patria fortiter pugnans occubuerit.

Postremo

Postremo, tempus a morte considerandum est. Atque hic tractandum de sepultura & pompa funebri de amicorum & notorum luctu: quanto desiderio illum universi lugeant. *Sine dubio* (inquias) *vir hic omni laude dignus fuit, quando quidem ab omnibus bonis tantopere lugetur, & tanto afficiatur honore.*

Quod si vir ille de quo agitur, quibusdam ex hisce virtutibus & dotis, quæ supra nomi navimus non sit imbutus: si (inquam) ex obscuris forte parentibus sit ortus; vel animi & corporis dotibus non sit usque quaque ornatus; memoriam habeat infirmam, & ingenium non adeo subtile, &c. Dicendum tamen non obstare, quo minus summis laudibus extollatur, è contra ex eo, quod corpore sit infirmo & memoriâ minus tenaci, & ingenio obtusiore præditus, laudandi ansam arripias. *Licet*, inquias, *memoriam habeat labilem & infirmam; ingenium parum acutum, & corpus studiis & laboribus minus aptum; magnam tamen rerum cognitionem assecutus est*, &c. Vel sic *quamvis obscuro loco sit natus; ita ut penes parentes non fuerit ob rei familiaris inopiam publice instituendum curare; dicit tamen nequit, quantum in studiis & bonis literis proprio marte progressum fecerit.*

De ARTIFICIALI LAUDANDI METHODO.

Artificialis laudandi methodus temporis rationem non servat; sed personæ virtutes, seu dona dividit in bona *Animi*, *Corporis*, & *Fortunæ*, atque ita percurras omnes animi corporis, & fortunæ dotes, vel saltem, quæ ad præsens faciunt institutum.

De VITUPERANDI METHODO.

Ex his, quæ dicta sunt de personæ laudibus, facile colligas, quæ in vituperium dici possunt: quod sc. quis ex obscura ortus sit familia: nefasto & infelice die, aut hora natus: quod in ipsa pueritia nequitiæ signa ostenderit: quod parentibus, & præceptoribus

immorigerus

immorigerus fuerit, quod parum in ſtudiis progreſſûs fecerit: & cum ad virilem acceſſerit ætatem, flagitioſiſſimus exſtiterit: quod de nullo bene meritus ſit: poſtremo, quod mortem obierit ignominioſam, nec ab ullo poſt mortem deſideratus fuerit.

Et poſito, quòd quædam laude digna in eo reperiantur; inde tamen vituperandi occaſionem ſorte habeas: dato, quod ex claris ortus ſit parentibus; dicas *eum maximo iis fuiſſe dedecori; quod licet optimos haberet parentes, qui bono exempla eſſent; & diligenter inſtituendum curarent, præcepta tamen eorum ſpreverit.* Præterea, poſito quòd acutum habeat ingenium; felicem memoriam; corpus firmum, & laboribus ſubeundis maxime idoneum; dicas tamen *eum hiſce cum corporis tum animi dotibus abuſum eſſe*; quod nimirum corporis robore & potentiâ probos & honeſtos viros oppreſſerit, & male multarit; quod ingenii acumine minus cautis impoſuerit; quod fortunæ bonis uſus fuerit, non ut pupueribus opitularetur, ſed alendis vitiis & cupiditatibus impuris.

Hic requiritur, ut pauca de *Amplificatione* dicamus.

De AMPLIFICATIONE.

Amplificatio eſt cum ad augendam perſonæ laudem utimur argumentis ab hiſce & ſimilibus circumſtantiis deductis; quod ſc. quis quid fecerit. 1. *Primus.* 2. *Solus.* 3. *Cum paucis.* 4. *Fuerit præcipuus.* 5. *Opportuno tempore.* 6. *Crebro.* 7. *Virtutis, non præmii gratiâ.* 8. *Non ſine ſumno vitæ periculo.* 9. *A collatione cum aliorum factis non æquè ſplendidis*, &c.

Quod ſi perſonam vituperes contrariis utaris; quòd ſc. 1. *Non primus* fecerit. 2. *Non ſolus.* 3. *Cum multis.* 4. *Non fuerit præcipuus.* 5. *Non opportuno tempore.* 6. *Raro.* 7. *Præmii, non virtutis gratiâ.* 8. *Nullo cum vitæ periculo.* 9. *A collatione cum aliorum factis magis inclytis & ſplendidioribus*, &c.

UNDE

UNDE FACTUM LAUDETUR.

Factum laudes, aut vituperes argumentis ductis ab *Honesto, inhonesto, utili, inutili, jucundo, injucundo, Necessario, Non necessario*, aut similibus.

UNDE RES LAUDENTUR.

Res sunt fere innumeræ, nec ad certas classes facile reducas: præcipuæ autem sunt *bruta animalia*, *regiones, urbes, ædificia*, *ager, fluvius, fons*; de quibus solummodo agemus; idque quam brevissimè.

Bos, Equus, Canis, &c. laudantur, vel vituperantur à forma, pretio, natalibus, effectibus, & cæteris hujusmodi proprietatibus.

Regiones a regiminis antiquitate, à Regibus, & Rectoribus, à primis cultoribus, à situs amœnitate, cœli & soli natura. Huc referri debent, fertilitas, montes, maria, flumina, fontes, sylvæ, metalla, multæ & magnæ civitates, earumque potentiæ, & robur, divitiæ, imperii genus, incolarum divini cultus, mores, studia, virtus bellica, &c.

Urbes seu *civitates* laudantur, à conditoribus, legislatoribus, ab antiquitate, à situ, à multis & præclaris ædificiis, castellis, munimentis, mœnibus, porticibus, fontibus, templis, scholis, theatris, thermis, statuis, plateis; ab ipsis incolis; sc. ab eorum numero moribus, studiis, divitiis, & potentia. Item, quod urbis situs sit commercio cum aliis urbibus, aut nationibus maxime idoneus; quod mari, aut flumine alluatur; quod agri circumjacentes sint fertiles; & hortos habeat amœnos & fructiferos: sed hæc & similia ad situm referas. Vid *Herodotum* Lib. 1. de *Babyl.* & *Cic.* Orat. sexta *Verrina*.

Ædificium etiam à situ, prospectu, figura vel forma, à materiâ, magnitudine, à cubiculis, hortis, fontibus, &c. quæ rei familiari sunt necessaria.

Academia

Academia seu *Collegium* á situ, structuræ magnificentia, à legibus ad studia promovenda maximè conducentibus; ab ipsis doctoribus, sive numerum, sive ipsorum pietatem, & rerum, quas docent, scientiam, & informandæ juventutis facultatem considerres. Item à sufficiente omnium rerum copia, quæ ad victum & vitæ usum requiruntur; à Bibliotheca optimorum Librorum copiâ instructa.

Ager à feracitate, à fructus bonitate, à cultus facilitate, à figura, &c.

Fluvius, ab ortu, colore, cursu, amplitudine, à locis, quos alluit, & rigat, à piscibus, ab alveo & vadis.

Fons, à perenni aquarum scaturigine, ab earum salubritate, dulcedine, limpiditate, &c. Sic *Ovid.*

Fons erat illimis, &c.

Quod si vituperes, contrariis utaris argumentis.

unde præcipuè petantur Argumenta in genere Deliberativo.

In genere Deliberativo petuntur Argumenta ab *honesto*, *inhonesto*, *jucundo*, *injucundo*, *utili*, *inutili*, *facili*, *difficili*, *possibili*, *impossibili*, *necessario*, *non-necessario*, &c.

Ab honesto; ut si suadeas ea, quæ tendunt in viri probi honorem; ad pauperum levamen, &c.

Ab utili; ut si quod suades, in Reip. commodum cedat; in amicorum, & ipsius, cui consulis, bonum tendat, &c.

Et si dissuadeas, contrariis utere.

unde præcipuè petantur Argumenta in genere juridiciali.

Hic imprimis advertendum, quis sit quæstionis status; num sc. Conjecturalis, Finitivus, Qualitatis, an denique Quantitatis.

Si sit conjecturalis, petuntur argumenta;

1. A potentia, & occasione ut si ostendas aliquem vires & nocendi occasionem habuisse. Sed & conc arguit *Venus* apud Virg.

Quid mihi Æneas in te committere tantum;
Quid Troës potuere?

2. A voluntate; ut si probaveris aliquem fecis ex eo, quòd cupiverit injuriam afferre.

3. A signis antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus; ut, si dicas eum strictum habui gladium, & manus cruore aspersas. Optimè arg Terentius a signo antecedente, vel, si placet concom tante; *Solitudo ante ostium, ergo nullæ nuptiæ.*

4. A testimoniis: vulgare enim est in genere ju diciali testes adducere, ubi alia deficiunt argumen

Si status sit finitivus, arguendum est a definitio ut *Commisit adulterium*; *polluit enim alterius thoru Non servavit fidem*; *quia non fecit, quod promisera*

Si qualitatis sit status, argumenta petuntur à natur & qualitatibus facti; ut, si ostendas quid impiu esse; quia sc. factum est contra leges Dei, & natur contra consuetudinem gentis; contra pactum, fidem datam. Exemplo sit illud *Simeonis* & *Le* Gen. 34. 25. *Occiderunt eos, qui ipsos amabant*, &

Si sit quantitatis expendas, quæ sint facti circu stantiæ injuriam atrocem, vel levem reddentes; ut,

1. Si fiat ob leves causas.
2. Si magnum afferat detrimentum.
3. Si sit contra meritum
4. Si contra fidem.
5. Si noxius fecit *solus, cum paucis, primus, sæpe, m animo, sobrius, præmeditatus*, &c.

Hactenus de argum ntis *Rationalibus* seu à *ratio* ductis, quæ a Græcis λογοι, *i. e. Rationes* appellant sequuntur argumenta ab *Affectibus* & *Moribus* pet quæ græci παθη & ηθη nuncupant.

De Affectibus, quatenus ad persuadendum conducunt.

Qui Oratoris partes bene agere velit, non tantum rationes, seu argumenta ex rebus deducta in medium adferre debet; sed Oratoris quoque munus est præcipuum, auditorum affectus movere & excitare. Ea enim est hominum natura, vulgi præsertim, ut non minus affectu, quam ratione ducatur & moveatur. Nec obstat aurea hæc Cæsaris sententia apud Salustium; *Qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia, vacuos esse decet.* Illic de affectibus agitur, quatenus mentis judicium pervertunt, usumque rationis impediunt. Deus tamen animis nostris affectus indidit, ut essent quasi stimuli ad honestas actiones: quod fit cum rationi sint consentanei.

Plena autem, & accurata affectuum enumeratio, & tractatio huc non pertinet: ea ad Ethicam referenda. De sequentibus pauca dicemus: *Lætitia, Tristitia, Gratia, Metu, Fiducia, Ira, Lenitate, Amore, & Odio.*

Possunt quidem ad quatuor classes revocari: *Lætitia*, quæ fit ratione boni præsentis; *Spes*, ratione boni futuri; *Dolor*, ratione mali præsentis; *Metus*, ratione mali futuri: quæ omnia in uno versu apud Virg. reperias,

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Et optimè Boët. sic modulatur;

Gaudia pelle. Pelle timorem. Spemque fugato. Nec dolor adsit. Nubila mens est, vinctaque fræno; hæc ubi regnant.

De LÆTITIA.

Auditores lætos reddes, si felicem ipsorum conditionem præ oculis ponas: si lætum afferas nuncium; ut si cui dicas, *superatum esse hostem*; vel *servo*

concessam esse libertatem; aut patri liberis diu destitu-to scitum natum esse puerum, &c.

Vel (præcipue si auditoris conditio non sit usque adeo felix) cum miserrima quorundam conditione conferas: licet enim simpliciter felix non sit; comparatè tamen beatus apparebit.

De TRISTITIA.

Tristitia oritur in auditorum animis; si enumerentur bona amissa; præcipuè si ostendatur, quanta fuerint; ut si in Oratione funebri demonstres ex morte alicujus præstantis viri, quanta sit Reipublicæ jactura.

De GRATIA.

Gratiam vel favorem in auditorum animis conciliabis vel erga teipsum, vel alios, si beneficia in te, vel alios collata grato agnoscas animo, teque indignum fatearis. Hujusmodi est illa Trojanorum ad Didonem oratio,

O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos relliquias Danaûm, terræque marisque,
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
urbe, domo socias. Virg.

Obiter hic advertas magnam esse amplificationem à circumstantiis deductam.

1. *Sola* Dido miserata est; nec tantum labores sed *infandos* labores.

2. Nos *omnium egenos.*

3. Nec leviter; ut si viatico tantum juvisset; quod maximum quidem esset beneficium: sed (quod multo majus est) *in urbem*, imo *in ipsam regiam* recipit. Vide, quæ de amplificatione diximus.

De METU.

Metum incuties, si ob oculos ponas maximum imminens malum. Sic Cicero in oratione pro l

Man

Manil. *Bellum grave & periculosum vestris vectigalibus a duobus Regibus potentissimis infertur, Mithridate & Tigrane.*

De FIDUCIA.

Fiducia vel spes parabitur, si ostenderis, te, vel alios in simili periculo evasisse: & eo fortius, si dicas te in majore versatum periculo: sic apud Virg.

O passi graviora; dabit Deus his quoque finem.

Eodem utitur argumento Cæsar in bello Gallico contra Germanos pugnaturus. *Helvetios* (inquit) *jam superastis, à quibus Germani fuerint devicti; facile ergo ipsos Germanos devincetis*: Qui potest majus, potest minus.

De IRA.

Excitatur ira, cum ostendimus indignum facinus, vel injuriam maximam alicui esse illatam: & exaggerari potest ex illius, qui læsus est, innocentia, virtute, dignitate, &c. vel ex lædentis vitiis, vel per comparationem, vel quod malo sit exemplo in posterum, vel denique, si ob oculos ponas aliquod illatæ injuriæ signum; quale fuit illud Antonii, quo Cæsaris vestem gladiis perforatam populo ostendit.

De LENITATE.

Comparatur Lenitas, vel (quod eodem redit) sedatur ira, si ostendas injuriam vel pene nullam, aut perexiguam; vel malo animo, seu ex contemptu factam non esse; sed irâ vel casu excidisse; vel jam ob delictum dolere; vel denique dicas priora beneficia majora esse præsenti injuriâ: sic Terent. *Mulea, ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre.*

Apud multos verò ingenua delicti confessio longè pluris habetur, quam multa excusationum millia. E contra, excusationes iram sæpe non leniunt, & sedant, sed augent, & exaggerant.

Causa patrocinio non bona major erit.

Egregium apud Ter. habes exemplum : Pamphilus ait Davo ; *Annon dixi hoc futurum?* Resp. Davus *Dixti*, cui Pamphilus, *Quid meritus es? Crucem*, inquit alter. Quæ ingenua Davi confessio plurimum valebat ad sedandam Pamphili iram : nam generosa mens, quia nihil præter gloriam appetit, & affectat, ut plurimum conquiescit, si is, qui offendit, supplex se demittat. Hinc optimè Ovid.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni ;
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

At viles animæ iram non remittunt, nisi par, vel majus malum retribuant.

De AMORE & ODIO.

Paratur Amor ex commemoratione beneficiorum, ex professione benevolentiæ; &, quo majora sunt bona, tanto major parabitur amor. Sed hoc referri potest ad ea, quæ de gratia seu favore diximus:

Odium ex contrario nascitur.

De Moribus, quatenus ad persuadendum conducunt.

Mores sunt *dicentis* vel *audientis*.

De moribus Dicentis seu Oratoris.

In dicente hæc tria summè necessaria sunt, *Probitas, Prudentia*, & *Benevolentia*.

Ni probus & honestus habeatur Orator, quotus quisque est, qui illi fidem habeat? Quis enim salubre expectabit consilium ab homine improbo?

Nec facile fidem illi habebimus, quem prudentem & sapientem non putamus.

Postremò, nisi nobis bene velle persuasum habemus; fruſtra argumentis etiam validissimis utimur. Malevolentiæ suspicio præjudicium in auditoris animo parit.

Inter

Quis etiam dicat, conſiderare oportet; puer, an ſenex; dives, an pauper; nobilis, an ignobilis; herus, an ſervus; &c. ut apud Horat.

Intererit multum Davuſne loquatur, an Heros.

De MORIBUS *audientis.*

Prudentis Oratoris eſt bene perpendere, apud quos dicat: variant enim auditorum mores, ſive hominum naturas, & indoles conſideres; ſive ætatis gradus, ſive fortunæ conditiones. Alii enim ſunt iracunda, & feroci; alii miti, & placidâ indole; alii honoris & gloriæ; alii divitiarum cupidi; alii fortes; alii ignavi; alii juvenes, alii ſenes; alii denique nobiles, ignobiles; divites, pauperes; felices, infelices; &c. Apud quos non eadem valent argumenta; ſed ſingulorum affectus, & animi ad hoc, vel illud propenſio, & vitæ conditio advertenda. Illuſtre hujus rei exemplum habemus in *Alexandro magno* apud *Curtium*, lib. 3. Ubi variâ Oratione, ut cujuſque gentis animis aptum erat, milites alloquitur. *Illyricos* & *Thraces* rapto vivere aſſuetos, opum & divitiarum oſtentatione ad pugnam accendit; *Macedones* multarum in *Europa* victoriarum mentione ad *Aſiam* ſubigendam excitat; *Græcos* admonet ab iis gentibus, contra quas pugnaturi eſſent, bella *Græciæ* fuiſſe illata; atque hinc animum iis addit, ut veteres ulciſcantur injurias. Vide ipſam Orationem.

Complur ſaliæ circumſtantiæ ab Oratore perito perpendendæ veniunt; quales *dicendi tempus, locus*, &c. Fruſtra apud hominem furibundum, & inſano ſimilem verba proferas, donec illius deferveſcat ira; & ad ſanam redeat mentem. Nec cujuſque ingenium & indoles patitur, ut quovis in loco delicti arguatur.

DE DISPOSITIONE.

LIB. II.

Dispositio est idonea partium Orationis ad persuadendum collocatio.

Partes vulgo sunt sex; *Exordium*, *Propositio*, *Partitio*, *Confirmatio*, *Confutatio*, & *Peroratio*, seu *Epilogus*. Hinc vulgaris versiculus;

Exorsus, narro, sico, firmo, refuto, peroro.

De EXORDIO.

Exordii munus est attentum & benevolum reddere auditorem.

Petitur Exordium vel ab ipso Oratore, vel ab Auditoribus, vel à re, de qua habenda est oratio; vel denique à loco, aut tempore, aut simili aliqua circumstantia.

Ab Oratore; ut, si dicas te ingenii tenuitate laborare, ideoque minus idoneum coram viris doctis & literatis verba facere.

Ab auditoribus, ut si ipsorum in te beneficia memorare velis; atque hinc benevolentiam & attentionem captares.

A re, de qua fit Oratio; ut, si promittas te de rebus magnis, novis, jucundis, & utilibus dicturum uti factum vides à Virgilio de apibus scripturo;

Protinus aërii mellis cœlestia dona,
Exequar. ——— Et paulo post.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, & Studia, & populos, & prœlia dicam,
In tenui labor est, at tenuis non gloria. ———

Quomodo autem paretur benevolentia ex suprà dictis colligas; ubi de affectibus egimus; præcipue de *Gratia* & *Amore*.

Quod

Quod ſi attentos, & benevolos habeas auditores, Exordio opus non eſt, præcipue ſi brevis ſit Oratio.

Exordium ſit breve & maximè appoſitum; id eſt, non longe petitum; ſed velut ex ipſa re natum. Imprimis cavendum, ne commune nobis ſit cum adverſario: nec nimis magnificum, ſed modeſtum & verecundum; quippe in reliquo Orationis corpore ſtylo aſſurgere oportet.

De PROPOSITIONE.

Propoſitio eſt, quæ rem, de qua dicturi ſumus, proponit.

Proponi debet verbis perſpicuis & paucis.

De PARTITIONE.

Partitio eſt, quæ Thema in partes dividit: ſed rarior eſt illius uſus; nec niſi in themate multiplice; ut apud Cic. pro lege Manil. *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum.*

A partitione (ſi commodè fieri poteſt) abſtinendum; & ſi in partes dividas, ne plures ſint tribus; ad ſummum quatuor. *Dichotomia* ſeu in duas partes diviſio, commodiſſima habetur.

De CONFIRMATIONE.

Confirmatio eſt ea orationis pars, quâ ſententiam noſtram argumentis aſtruimus, & confirmamus.

Validiora argumenta (modo plura ſint) in principio, & fine collocari ſolent, infirmiora in medio.

Noli nimia adducere, ne cauſam tuam reddas infirmam aut ſuſpectam; utpote quæ tot indigeat argumentis.

De CONFUTATIONE.

Confutatio eſt, quâ adverſarii objectiones diluimus. Hoc vulgo fit,

1. Oſtendendo nullam eſſe conſequentiam; ut apud Cic. pro Milone. Negat Milonem pro homicida habendum, licet Clodium interemerit; quia jure id fecit.

2. Retorquendo; ut ſi dicas; *Interfecto aſtabat, ergo, interfecit.* At contra reſpondet defendens, *quia adſtabam, ideo non interfeci, nam interfectores aufugiunt.*

Vulgo infirmiora argumenta prius diluuntur.

De EPILOGO.

Epilogus, ſeu Peroratio, eſt concluſio totius Orationis.

Hic vulgo reſumitur unum aut alterum ex præcipuis argumentis, quæ ad perſuadendum maxime ſunt idonea: non tamen iiſdem prorſus verbis, ne nauſeam excitet repetita crambe.

In Epilogo præcipue omnes ſuos nervos intendere oportet Oratorem, & eloquentiæ quaſi fontes aperire, ut auditorum affectus ad ſuam ſententiam alliciat & attrahat: quod non verbis, ſed lacrymis optime factum videmus à Cicerone pro Milone: *Sed finis ſit,* (inquit) *neque enim præ lacrymis jam loqui poſſum.* Et alibi pro Rabirio Poſthumo ſic concludit: *Jam indicat tot hominum fletus, quam ſis charus tuis; & me dolor debilitat, includitque vocem.*

Interdum Epilogo non opus eſt; cum ſc. breviuſcula eſt Oratio, vel cauſa admodum tenuis.

Quot ſint Eſſentiales Orationis Partes.

Duæ tantum ſunt Orationis partes eſſentiales, ſeu ſimpliciter neceſſariæ; nempe *Propoſitio* & *Confirmatio*, ſine quibus Oratio eſſe nequit. E. g. *Prudentia eſt omnium virtutum præcipua; nam eſt reliquarum directrix. Prudentia eſt omnium virtutum præcipua*, Propoſitio eſt: *Nam eſt reliquarum directrix*, Confirmatio. Item; *Beatus eſt qui mandata Dei ſervat; nam*

ipſius

ipsius in æternum fruetur præsentia; miser qui non servat; nam apud inferos æternos patietur cruciatus. Hic duas vides Propositiones cum Confirmationibus.

Interdum eleganter supprimitur vocula causalis, *Nam*, vel *Quia*, ut, Ps. 23. *Non timebo* (Propositio) *Deus est custos*; Confirmatio.

Reliquæ Orationis Partes non ad esse, sed ad bene esse conferunt.

ANNOTATIUNCULA.

Vulgarem hic descripsimus dispositionis methodum: interdum tamen Propositio primum obtinet locum; Exordium, secundum; Confutatio interdum cum Confirmatione commiscetur; nonnunquam præcedit, præsertim ubi duo sunt Oratores, posterior prioris argumenta ante diluere solet, quam sua in medium proferat.

DE ELOCUTIONE.

LIB. III.

ELocutio est Pars Rhetoricæ, quâ inventa, & disposita aptis verbis efferre docemur.

Tria hic requiruntur; Dictionis *Puritas*, *Perspicuitas*, & *Dignitas*.

De dictionis PURITATE.

Puritas requirit, ut nihil barbaris, inusitatis, aut obscœnis vocibus efferatur; nec sufficit, ut Regulis Grammaticalibus conformis sit Oratio, sed & bonorum scriptorum consuetudini.

Abstinendum ab alterius linguæ vocibus, nisi jam in usu sint. In Latina Oratione vitandæ voces Græcæ; & vice, versa in vernacula fugiendæ sunt Latinæ, Græcæ, aut cujusvis alterius Linguæ voces.

Si de rebus obscœnis loqui necesse sit, honestis utaris verbis per *Periphrasin*, seu *Circumlocutionem*; de qua suo loco.

De Dictionis PERSPICUITATE.

Ad Perspicuitatem pertinet, ut omnia claris & perspicuis verbis efferantur; ut nimirum stylo utamur ad auditoris captum accommodato. Atque istud magis est necessarium, quam exquisita latinitas. Quid enim prodest, proferre verba, quæ non intelligunt auditores, quorum gratiâ efferuntur? In magno versantur errore, qui putant eos solos facundos, & eloquentes esse habendos, qui magnifico, & grandi utuntur stylo. Multò minus certe disertus habendus est, qui obscuram, & ænigmaticam loquendi formam affectat, & voces auditoris captum superantes amat, & eligit. Nescit profecto, quid sit Oratoris munus, aut Rhetoricæ finis. Non disertus & eloquens dicendus est hujusmodi Rhetor, sed Barbarus, ut ait Apostolus, 1 Cor. 14. 11. Sic Ovidius, dum exulabat inter peregrinos, de se scribit;

Barbarus hic ego sum; quia non intelligor ulli.

1. Igitur vitanda est Oratio auditoris captum superans, &c.

2. Phrasis duplicem admittens sensum; cujusmodi est: *Chremetem audivi percussisse Demeam.* Item.

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Excipe, si verborum contextus ambiguitatem tollit.

3. Nimis brevis & concisa loquendi forma; aut perturbatus vocum ordo.

4. Sermo nimium productus, quem auditoris memoria assequi non potest.

De Dictionis seu Orationis DIGNITATE.

Non satis est, ut omnia puris & perspicuis vocibus efferas: sed præterea requiritur, ut Orationem quibusdam

buſdam quaſi picturis, & floribus adornes; illis ſc. verborum & ſententiarum luminibus, quæ Rhetores *Tropos* & *Schemata* appellant.

De TROPIS.

Tropus (i. e. *Converſio*) eſt vocis mutatio à propria ſignificatione in alienam; ut ſi quem appelles *vulpem*, id eſt *verſutum & callidum hominem.*

Quatuor ſunt Tropi primarii, *Metaphora, Metonymia, Synecdoche* & *Ironia.*

De METAPHORA.

Metaphora (i. e. *Tranſlatio*) eſt Tropus, quo vox á propria ſignificatione in alienam transfertur ob ſimilitudinem; ut in exemplo modo allato; ſi hominem *cautum* & *verſutum* voces *vulpem*: nam is vulpi ſimilis eſt in calliditate: aut ſi *ſtupidum* appelles *aſinum, tardum* & *ſignem teſtudinem*; utpote hæc animalia referentes. Item & hic; *Prata rident*, i. e. *florent & vireſcunt*: eſt enim inter hominis ridentis vultum & vernalem prati aſpectum ſimilitudo quædam.

Tria igitur hic ſunt conſideranda; *ſignificatio propria, aliena*, & *ſimilitudo.*

Obiter notandum omnium troporum longe frequentiſſimum eſſe *Metaphoram*, & cæteris multò plus luminis & decoris orationi afferre: Hac pleni fere ſunt omnes libri, præcipue Poëtarum inter quos ſupereminet *Geor. Buchanani* Pſalmorum Paraphraſis; quam continuatam fere appelles *Allegoriam*: quot voces, tot metaphoræ, Pſ. 18.

——— *Mea vis, mea ſola potentia, turris,*
Præſidium, ſpes, & rebus ſolamen in arctis,
Tu clypeus, tutela mihi, tu certa ſalutis
Anchora, tu ſtatio tuti placidiſſima portus, &c.

De METONYMIA.

Metonymia (i. e. *Tranſnominatio*) eſt Tropus, quo cauſa

causa efficiens ponitur pro effecto; aut subjectum pro adjuncto: vel contra, ubi effectum pro causa efficiente, aut adjunctum pro subjecto.

Efficiens pro effecto; *Virgilius*, aut *Buchananus* pro *ipsorum scriptis*; *Mars* pro *bello*; &c. Sic vulgo dicimus *Lego Virgilium, Cæsarem*, &c. quanvis hi olim sint mortui: inde necesse est, ut ipsorum scripta intelligamus.

Et contra, effectum pro causa efficiente; ut *Pallida mors*, dicimus, cum revera mors non sit pallida; sed homines tantum efficiat pallidos.

Subjectum pro adjuncto; ut Cic. *Testis est Italia*; pro *Itali testes sunt*. Sic vulgo dicimus, *Schola est dimissa*, pro *Scholastici: amove mensam*, i. e. *mensæ reliquias*, seu *fragmenta*.

Subjectum late hic sumitur, prout superius dictum; cum de argumentis à Subjecto deductis ageretur: sc. *inhæsionis*, *adhæsionis*, & *occupati*. Sic possessor ponitur pro re possessa; ut apud Ter. *Quid de tefuturum censes, quem assidue exedunt?* Certe ipsum possessorem non edebant, sed ipsius bona & opes; sic vulgo dicimus, *Apud me*, *apud patrem*, &c. i. e. *domi meæ*, aut *patris*. Item cum res, quæ in tempore fit, pro ipso tempore usurpatur, ut *Messis* pro *Autumno*.

Et contra Adjunctum pro Subjecto, ut apud Virg. *vina coronant*, i. e. *pocula*. Hinc vulgo Abstracta pro Concretis videas; *Impietas*, *Luxuries*, pro *impii*, *luxuriosi*. Ita Buch. Psal. 1.

Non coram impietas mœstos attollere vultus
Audebit.

Virtutes nimirum & vitia, quæ sunt hominum adjuncta pro ipsis viris ponuntur.

Adjunctum late etiam hic sumendum, prout superius demonstratum; ut cum signum ponitur pro re significata: sic *pubes* pro *juventute*. Item cum tempus ponitur pro iis, quæ in tempore fiunt; sic Virg.

Aspera

Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis.

Secula i. e. homines illius ſeculi, ſeu temporis.

Per nos *ſeculum* appelles ſubjectum, & *homines* in ſeculo adjunctum; utpote Continens (ut aiunt) eſt ſubjectum, & Contentum adjunctum; dicaſque *homines* à ſeculo contineri: & hinc in exemplo allato non poni adjunctum pro ſubjecto; ſed vice verſa, ſubjectum pro adjuncto.

Ad Metonymiam referunt, cum antecedens ponitur pro conſequente; ut *vixit*, i. e. *mortuus* eſt. & contra; ut *funus* pro *morte*.

De SYNECDOCHE.

Synecdoche (i. e. *Comprehenſio*) eſt Tropus quo totum ponitur pro parte; vel contra.

Fitque ſex modis.

1. Cum genus, quod eſt totum univerſale, ponitur pro ſpecie: i. e. cum quid generale, & magis late patens uſurpatur pro particulari & minus late patente. Sic, vulgo *ventus* ponitur pro *Euro*, aut *Zephyro*, aut quovis alio particulari vento. Item *ales* pro *aquila*; *quadrupes* pro *equo*, & *equus* ſorte pro *Bucephalo*, Alexandri Magni equo velociſſimo.

2. E contra, ſpecies, ſeu quid minus late patens uſurpatur pro genere, ſeu voce magis late patente; ut *Eurus* pro *vento*, *Bucephalus* pro *equo*, *parricida* pro *homicida*. &c.

3. Cum totum eſſentiale (i. e. & materia & forma) ponitur pro ſola materia, aut forma; ut Ioan. 20. 13. *Suſtulerunt Dominum*; i. e. Domini corpus. Sic Chriſtus latronum alteri (Luc. 23. 43.) *hodie*, ait, *tu eris mecum in paradiſo*. Ubi *Tu* pro *Anima tua* intelligi debet.

4. E contra cum pars materialis, aut formalis ponitur pro toto; ut *ferrum* pro *gladio*, vel quibuſvis aliis armis ex ferro confectis. Sic Cicero *animas* pro

ipſis

ipſis perſonis ponit: *Vos meæ* (inquit) *charissimæ animæ, ſæpissime ad me ſcribite.*

5. Cum totum integrale ponitur pro parte; ut ſi totus fluvius pro parte dicatur: ſic Virg.

Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tigrim.

6. Contra, ubi pars integralis pro toto uſurpatur; ſic *caput* pro *integro homine* videas, *feſtivum* ſeu *lepidum caput*, pro *feſtivo ſeu lepido homine*. aut *puero*. Item *puppis* pro *nave*, *tectum* pro *domo*, *dux* aut *miles* pro *exercitu*, &c.

Ad Synecdochen referas; cum numerum certum pro incerto poni vides; ut *Sexcenta licet hujuſmodi proferre*, i. e. *plurima*.

Item, cum rotundus numerus ponitur pro non multo majore aut minore; ut ſi dicas, *mille hominum*, cum revera ſint vel forte pauciores vel plures.

Poſtremo huc referunt cum ſingularis pro plurali uſurpatur, vel contra; ut apud Liv. *Romanus prælio victor*, pro *Romani*. Sic vulgo *Miles* pro *Milites*, videas, Curt. Lib. 3. *Ad conſcribendum militem*. Et nil frequentius quam *Pectora*, *Ora*, & ſimilia poni pro *pectus*, *os*, &c. ut apud Virg.

——— *ut faciem mutatus & ora Cupido*
Pro dulci Aſcanio veniat.

De IRONIA.

Ironia (i. e. *ſimulatio* vel *diſſimulatio*) eſt Tropus quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur; ut apud Ter. *O ſalve bone vir, curâſti probè*: cum revera, qui dixerit, contrarium ſentiret.

Intelligitur quis Ironice loqui, vel ex ipſa vocum pronunciatione, vel ex geſtu, & vultu pronunciantis, vel è re ipſa, de qua loquitur.

Hactenus de Tropis primariis, ſequitur ut agamus de quibuſdam Troporum ſpeciebus, & affectionibus.

De

De ANTONOMASIA.

Antonomaſia (i. e. *Pronominatio*) eſt cum proprium ſumitur pro communi, vel contra; ut *Sardanapalus* pro homine flagitioſo; *Venus* pro *formoſa*, *Irus* pro *paupere*, *Cræſus* pro *divite*; *Cretenſis* pro *mendace*.

E contra, cum commune ponitur pro proprio; ut *urbs* pro *Roma*, *Apoſtolus* pro *Paulo*, *Poëta* pro *Virgilio*, &c.

Atque hæc eſt vera Synecdoches ſpecies; vel ſi placet, ipſa Synecdoche.

De LITOTE.

Litote, ſeu ut alii volunt, Liptote (i. e. *Extenuatio*) eſt cum minus dicitur, quam intelligitur; ut *non laudo*, i. e. *reprehendo*. *Munera nec ſperno*, i. e. *Lubens accipio*, &c.

Hanc etiam Synecdoches ſpeciem eſſe aiunt.

Complures aliæ Troporum ſpecies à quibuſdam enumerantur; ſed exempla, quæ adducunt, non difficulter ad præcedentia referri poſſunt.

Sequuntur Troporum affectiones.

De METALEPSI.

Metalepſis (i. e. *Tranſumtio*) eſt tropus multiplex in una voce; ut apud Virg. Ec. 1.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Per *Ariſtas* hic intellige *ſpicas*, per *ſpicas ſegetes*, per *ſegetes meſſes*, per *meſſes autumnos*, per *autumnos annos*. Sic collige, Ariſta eſt pars ſpicæ, hinc Synecdoche; pars pro toto; ſpica pro ſegete, pars etiam pro toto; ſeges pro meſſe, Metonymia, ſubjectum pro adjuncto; nam meſſis ſeu meſſura adjunctum eſt ſegetis: Meſſis pro autumno, Metonymia, adjunctum etiam pro ſubjecto, nam in autumno continetur meſſis: Autumnus denique pro anno, Synecdoche, pars pro toto.

De

De ALLEGORIA.

Allegoria (i. e. *Diversiloquium*) est oratio ex pluribus tropis contexta, ut apud Cic. pro Cœlio: *Quoniam emersisse jam è vadis, & scopulos prætervecta videtur oratio mea; perfacilis mihi reliquus cursus ostendatur.* Hic continuatur metaphora: at in sequente exemplo Metonymia; *Sine Cerere & Libero friget Venus*; Ter.

De ÆNIGMATE.

Ænigma (i. e. *Obscuritas*) est ambigua, & obscura quædam Allegoria ad occultandam rem notam excogitata; ut,

Dimidium lunæ, lunam cum principe Romæ.
Exigit à nobis totius conditor orbis.

Dimidium lunæ, i. e. C. Luna, i. e. O. Princeps Romæ, i. e. R.

Sed raro locum habet in orationibus publicis, in epistolis forte sæpius; ut ab iis solis intelligamur, ad quos scribimus.

De CATACHRESI.

Catachresis (i. e. *Abusio*) est, cum vox aliqua licentius à propria significatione in alienam transfertur; ut, *Stagnum* pro *mari*. Sic abusivè utitur Horatius voce *Equitare* lib. 4. Od. 4.,

Eurus per Siculas equitavit undas.

Est hæc metaphora, sed longe petita.

De HYPERBOLE.

Hyperbole (i. e. *Superjectio*, seu *Excessus*) est oratio augendo, vel minuendo superans fidem; ut, *minus nihilo. Plus millies audivi. Pauperior Codro. Tardior testudine.*

Sunt & aliæ troporum affectiones, quas consulto prætermittimus; utpote plus molestiæ, quam utili-

tatis

tatis lectori afferentes; quales *Sarcasmus*, *Diasyrmus*, *Charientismus*, *Mycterismus*, *Mimesis*.

De SCHEMATIS seu FIGURIS.

Schema, seu figura est, cum oratio quovis alio modo, quam significationis inversione á vulgari consuetudine in meliorem mutatur.

Schema est, vocum, vel rerum.

Schema vocum tolli potest, si vel mutentur ipsæ voces, vel forte earum situs & ordo; ut apud Ter. *Inceptio est amentium, haud amantium*; schema est, seu figura vocis quia si vocem *amentium* (quod eodem redit) in *Stultorum*, aut *Insanorum* commutes, nulla erit figura, aut schema.

At schema rerum manet, quanvis mutentur voces; ut, si Patriam lo quentem introducas, est *Prosopopœia*, seu fictio personæ, quibuscunque utaris vocibus.

De SCHEMATIS VOCUM.

Schemata vocum sunt triplicia: quædam consistunt in defectu; quædam in excessu; quædam in reliquo orationis corpore.

De schematis, seu figuris per quas deficiunt vel redundant voces jam actum in secunda Grammaticæ parte, sc. Eclipsi, & Pleonasmo quatenus nimirum ad legitimam vocum constructionem pertinebant: hic dicendum restat, in quantum orationem exornant.

De ECLIPSI.

Eclipsis (i. e. *Relictio*, seu *Omissio*) est figura, qua vox aliqua venustè & eleganter supprimitur; ut apud Virg. *Sed vos quid tandem?* (supprimi vides copulam, supple *estis*) Pariter in magna festinatione apud eundem optime

Ferte citi flammam date tela impellite remos.

De PLEONASMO.

Pleonasmus (i. e. *Redundantia seu superabundantia*) est figura, qua voces licet non simpliciter necessariæ, emphasin

emphaſin tamen quandam notantes, orationi adduntur: ut, *Hiſce oculis vidi*; cum rem pro certo affirmares: cum revera nil aliud ſignificent, quam *vidi*. Item, *accipe hoc parvum munuſculum* quod melius multo eſt, quam *parvum munus*; licet idem utrumque ſignificet.

De SCHEMATIS, quæ in reliquo orationis corpore fiunt.

Hæc vel repetunt vocem eandem, vel ſimilem.

SCHEMATA tandem vocem repetentia.

De ANTANACLASI.

Antanaclaſis (i. e. *Refractio*) eſt cum uſurpatur vox eadem appellatione; non ſignificatione; ut, *Amari jucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari.*

De PLOCE.

Ploce (i. e. *flexus*) eſt; cum vox uno loco perſonam, alio qualitatem ſignificat; ut, *Ad illum diem Memmius erat memmius; i. e. ſui ſimilis* Item; *Simia eſt Simia, etiamſi aurea geſtet inſignia.*

De SYNONYMIA.

Synonymia (i. e. *Communio nominis*) eſt, cum plures voces idem ſignificantes conjunguntur; ut, Cic. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Et Ter. *Non feram, non ſinam, non patiar.*

Utimur pluribus verbis, quoties uno non ſatis rei magnitudinem demonſtrare videmur.

De EXERGASIA.

Exergaſia (*i. e. Elaboratio*) eſt congregatio ſententiarum idem ſignificantium; ut, apud Cic. pro Ligario. *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Figu-

Figura hac utaris, cum auditorem diutius in re aliquâ detinere velis.

De ANAPHORA.

Anaphora (i. e. *Repetitio*) est ejusdem vocis in sententiarum principiis repetitio; ut apud Cic. Catil. 1. *Nihil te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ; Nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatûs locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* Item apud Virg.

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum.
Te dulcis conjux, te sola in littore secum.
Te veniente die, te discedente canebat.

De EPISTROPHE.

Epistrophe (i. e. *Conversio*) est repetitio ejusdem vocis in clausulis: *Pœnos populus Romanus justitiâ vincit, armis vincit, liberalitate vincit.*

De SYMPLOCE.

Symploce (i. e. *Complexio*) est cum Anaphora & Epistrophe concurrunt; ut *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus.*

De EPANALEPSI.

Epanalepsis (i. e. *Resumtio*) est repetitio ejusdem vocis in initio præcedentis, & in fine sequentis sententiæ; ut apud Cic. in Ver. *Tenetur aliquando, & in rebus tum maximis tum manifestis tenetur.*

Qui bibit inde furit. procul hinc discedite, queis est
Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.

De ANADIPLOSI.

Anadiplosis (i. e. *Reduplicatio*) est repetitio ejusdem vocis in fine præcedentis, & in initio sequentis sententiæ; ut apud Virg.

sequitur

—— *Sequitur pulcherrimus Astur,*
Astur equo fidens.

De EPIZEUXI.

Epizeuxis (i. e. *Ingeminatio*) est, cum vox aliqua geminatur; ut, *Ipsa sonant arbusta Deus, Deus ille, Menalca. Crux, crux, inquam, infelici, & misero. Parta jam parta ultio est*, Sen de Medea *Vidi enim, vidi, penitusque perspexi.* Cic.

De CLIMACE.

Climax (i. e. *Gradatio*) est, cum eodem verbo superiora inferioribus connectuntur, ut, *Africano industria, virtutem; virtus, gloriam; gloria, æmulos comparavit.*

De POLYPTOTO.

Polyptoton (i. e. *varie desinens*) est, cum idem verbum variato casu sæpius ponitur; ut apud Cic. *Sed pleni sunt omnes libri; plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.*

SCHEMATA in verbis similis soni, seu similia verba repetentia.

De PAREGMENO.

Paregmenon (i. e. *Adductio*) repetit voces, quarum una ab altera derivatur; ut apud Ovid.

Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris:
Ingenioque faves, ingeniose, meo.

De PARONOMASIA.

Paronomasia (i. e. *Agnominatio*) est parva vocum, sed magna sententiæ mutatio; ut in *Dicitur* & *Discitur* apud Sen. *Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur.* Et apud Ter. *Inceptio est amentium, haud amantium.*

De HOMOIOTELEUTO.

Homoioteleuton (i. e. *similiter desinens*) est, cum plures voces similiter desinunt in eadem sententia Cic. *ut ejus semper voluntatibus non modo cives assen-*

De

ſerint, ſocii obtemperarint, ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint.

De PAREZESI, vel (ut alii) PARECHESI.

Parezeſis (i. e. *Aſſeſſio*) eſt cum ſyllabæ antecedentis vocis in ſequente repetuntur; ut *O fortunatam natam, me Conſule Romam! Vi victa vis.* Cic.

Hactenus de Schematis vocis; ſequuntur Sententiæ; quorum pauca tantum attingemus.

Schemata SENTENTIÆ, ſeu RERUM.

Schemata rerum ſeu ſententiæ vel ornant Probationem, vel Diſpoſitionem.

SCHEMATA Probationem exornantia.

De PROLEPSI.

Prolepſis (i. e. *Anticipatio*) eſt, cum id, quod ab adverſario objici poſſe putamus, anticipare, & diluere adnitimur. Innumera hujus figuræ exempla paſſim apud authores videas; præſertim in epiſtolis ad Lectores: in noſtra huic libello præfixa quædam reperias. Vide illud in ipſa Rhetorica, pag. 25. Lin. 9. *Nec obſtat*, &c.

Hæc figura ſingularem requirit in Oratore prudentiam. Illi enim diligenter videndum, quæ tacita ſint hominum judicia; quo propendeant animi, quid eos offendat, quid probent.

De GNOME.

Gnome (i. e. *Sententia*) eſt, cum Orator præclarâ aliqua utitur ſententia; qualis hæc Senecæ, *Minimè turpe eſt docere, quod honeſtum eſt diſcere.*

De AUXESI.

Auxeſis (i. e. *Incrementum*) eſt, cum utimur voce, rei magnitudinem excedente; ut ſi *furem* appelles *ſacrilegum*, aut *veneficum*: vel *homicidam* voces *parricidam*.

De

De TAPINOSI.

Tapinosis (i. e. *Humiliatio*) è contra est, cum voce humiliore utimur, quam res ipsa postulat; ut si *sacrilegum* voces *furem*; aut *parricidam*, *homicidam*.

De PARALIPSI.

Paralipsis (i. e. *Præteritio*) est, cum dicimus nos velle præterire, quæ tamen in transcursu dicimus: sic Cic. *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.*

De PERIPHRASI.

Periphrasis (i. e. *Circumlocutio*) est, cum pro una voce plures constituuntur, ut *Romanæ eloquentiæ parens*, pro *Cicerone*.

Interdum Periphrasi uti cogimur; vel cum propria vox deest; aut nos latet; vel honestatis gratiâ; cum nimirum vox unica honestas offenderet aures; ut apud Plaut. *Me dico ire, quo solent saturi.*

De INCREMENTO.

Incrementum est, cum velut gradibus quibusdam ad summum pervenitur; ut Cic. *Facinus est vincire civem Romanum; scelus verberare; prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?*

De ECPHONESI.

Ecphonesis (i. e. *Exclamatio*) est, cum oratio Interjectionem habet expressam ad significandam rei magnitudinem; ut *O tempora! O mores!* Cic.

De APOSIOPESI.

Aposiopesis (i. e. *Reticentia*) est, cum ita abrumpitur Oratio, ut vix appareat, quid quis dicturus fuerit. Convenit irato, & minitanti exitium aliquod; ut apud Ter. *Ego te, furcifer, si vivo.* sc. male multabo, aut occidam.

De

De PROSOPOPOEIA.

Prosopopœia (i. e. *personæ fictio*) est, cum personam fingimus: i. e. cum vel absentes, vel mortuos, aut res inanimatas ipsi alloquimur; vel eos nos alloquentes inducimus. Sic Ovidius suum alloquitur librum;

Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in urbem.

De EROTEMATE.

Erotema (i. e. *Interrogatio*) est, cum per Interrogationem efferuntur, quæ citra eam dici possunt; ut apud Virg.

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis?

Dici potuit, *ipse ego te vidi*, &c. Pariter apud Cic. de Catilina: *Patere tua consilia non sentis? Quid superiore nocte egeris; ubi fueris, quos convocaveris; quid consilii ceperis; quem nostrum ignorare arbitraris?* dici potuit; *patent nobis tua consilia; novimus quid egeris*, &c. Sed hæc loquendi forma multo fortius arguit; & auditorum affectus, sive ad indignationem, sive admirationem vehementer excitat & impellit.

SCHEMATA Dispositionem exornantia.

De METABASI.

Metabasis (i. e. *Transitio*) est cum orationi quid inseritur, ut ab eo, quod diximus, ad illud, quod superest, commode perveniamus, ut apud Cic. *Satis multa de turpitudine: dicam deinceps, quæ proposui de periculo.* Sic Virg.

Hactenus arvorum cultus & sidera cœli;
Nunc te, Bacche, canam.

Atque hæc figura non tantum Orationi affert perspicuitatem; sed & ad parandam attentionem maxime utilis est.

De APODIOXI.

Apodioxis (i. e. *Rejectio*) eſt, cum aliquid vel ſimpliciter ab oratione removetur; vel ſaltem in alium locum, aut tempus rejicitur; Cic. *Sed de Lucullo dicam alio loco.*

Hactenus de Tropis & Schematis; ſequitur

De COMPOSITIONE.

Compoſitio eſt idonea verborum ſententiarumque ſtructura.

Plurima hic præcepta à quibuſdam tradi ſolent: nos pauca attingemus.

Imprimis autem cura adhibenda eſt, ne literarum concurſu vel hiet, vel dura, & aſpera videatur oratio. Hinc eſt, quod veteres in vocum compoſitione ſæpe magnam fecerint literarum mutationem: *Auſero*, non *abſero*; *colloco*, non, *conloco*; *arripio*, non *adrapio*, &c. Hinc etiam *ab avo*, non *à avo* dicendum; alioquin turpiſſimum faceres hiatum. Ic. *alvus mea*, non *mea alvus*: & ſic de infinitis aliis.

Diſpiciendum etiam, ne ultima ſyllaba præcedentis vocis, & prima ſequentis turpe aliquid efficiant. Hinc quidam Virgilium accuſare audent; quia dixit *Dorica caſtra*, & *cæca caligine*; inde enim fit *Cuca*.

Præterea in orationis Compoſitione requiritur, ut quod natura vel dignitate præſtantius eſt, præcedat: ſic *viri & fœminæ*, *ortus & occaſus*, &c. Non *fœminæ & viri*, *occaſus & ortus*. Contrarium tamen interdum videas.

Quem vero ordinem ipſæ voces in oratione obtineant, ex optimis authoribus colligas: hic tantùm monemus, Vulgo verbum ſententiam claudere; & aliquid eleganter interjici inter adjectivum & ſubſtantivum; ut in ſequente Ciceronis exemplo cernere eſt: *Aut occulta nonnullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam.*

Qui

Qui hujuſmodi præceptiunculis delectatur, adeat *Franciſci Sylvii* Progymnaſmata; vel *Jacobi Publicii* Inſtitut. vel *Nicolai Cauſſini* Paral. Lib. 7. Cap. 15. aut *Voſſii* Rhetoricam.

De STYLO.

Triplex eſt dicendi character, *magnificus, humilis & mediocris.*

Magnifico utendum, cum de rebus magnis ſit ſermo; nimirum de Deo, Republica, Rege, aut Heroe; prælio, aut certamine inſigni.

Ad Orationis magnificentiam pertinent Tropi & Schemata ſuperius tradita, & elegans vocum ſtructura & ordo: præcipue vero ſublimes Metaphoræ, à grandibus nimirum rebus petitæ.

Utimur Stylo, ſeu charactere humili, cum de rebus exiguis & parvis eſt ſermo; ut ſi Orationem habeas de paupere caſa, exiguo fluvio, oppidulo, &c.

Hic rarior eſt Troporum & Schematum uſus, nec ſedula vocum ſtructura.

Mediocris inter utrumque verſatur, nec nimis aſſurgit, ne idem cum magnifico videatur; nec humi ſerpit, ne cum tenui confundatur.

Laudatur Stylus æquabilis, & ſibi ſemper ſimilis & conformis. Quid abſurdius, quam nunc ſublime in cœlum volare; nunc rurſus turpiter humi ſerpere?

Hactenus de Elocutione.

DE PRONUNCIATIONE.

LIB. IV.

PRonunciatio eſt commoda & apta orationis enunciatio.

Hic præcipue elucet Oratoris dignitas; adeo ut, qui hâc inſtructus eſt parte, quanvis mediocriter tan-

tum reliquis sit imbutus, summos Oratores superare existimetur. Et contra, licet elegans admodum, & concinna sit Oratio, nisi bene pronuncietur, flaccescit, & nihil delectationis audientibus adfert. Hinc est, quod Martialis nebulonem quendam, qui versus elegantes male pronunciaret, sic reprehendat.

Quem recitas, meus est, O Fidentine libellum.
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Negandum tamen non est optimos quosdam extitisse Oratores, qui hac parte laborarint. *Isocratem* aiunt ex ingenii timiditate in publicum prodire non ausum; licet is elegantissimas conscripserit Orationes. Sed ad rem.

Duo hic sunt consideranda; sc. *Vox*, & corporis *Gestus*: hic oculos, illa aures afficit.

De VOCE.

1. Vox sit clara: non tamen nimis acuta, & sonora; ne *Clamator* potius quam *Orator* videaris.

2. Sit varia, prout requirit Orationis materia; ut si de re tristi & flebili agatur, illi conformis esse debet. Et nunc altiore, nunc submissiore utendum, in orationis exordio submissiore, & inde gradatim assurgendum. In propositione planâ & apertâ uti oportet, in confirmatione & confutatione acriore, in epilogo excitata uti solent, quasi partâ jam victoriâ.

3. Si ipsas in oratione voces respicias, singulas distinctè & articulatè proferre oportet: quæ vero emphasin quandam habent, emphaticè, & cum majestate efferantur.

4. Syllabarum quantitates diligenter observes: breves corripiantur, & longæ producantur. Nec interim accentus ratio negligatur.

5. Interpunctiones imprimis notandæ: in commate mora sit brevior; in semicolo paulo longior; in colo & puncto longissima; sed hoc illo longiorem habeat

habeat. Nec inutilis est vocis variatio in admirationis & interrogationis punctis: & quæ parenthesi includuntur, alienam quasi vocem postulant. Sed hæc & similia viva voce docenda.

De Corporis GESTU.

1. Corporis status sit erectus.
2. Vultus pro rerum natura sit lætus, tristis, blandus, minax, erectus, demissus.
3. Cervice utendum recta, non tamen rigida.
4. Humeri non sunt allevandi.
5. Brachia non projicienda; nisi in vehemente affectu brachio dextro in latus dextrum expatiari velis.
6. Manus interdum à sinistro latere incipiat, ac dextro deponatur.
7. Femur aut pectus ferire scenicum habetur.
8. Pedes sint immobiles.

Postremò sciendum, hæc præcepta spectare præcipue Oratorem publice in suggesto declamantem. Potes quidem sub quovis corporis habitu Rhetorem agere: cubans, sedens, ambulans, equitans, Orationem habeas. Alexander Magnus acici obequitans milites alloquitur, *Curt.* Lib. 3.

Verum publicè, etiam in suggesto aliis alias diversus est corporis gestus. Si commodum & decentem habere velis; virum aliquem cujus in publico gestus ab omnibus, vel saltem plerisque probatur, tibi eligas imitandum.

Si qua tamen in illo reprehensu digna advertas (nullus enim ex omni parte beatus) fugias, & devites. Ne quid nimium affectes, sive in loquendi forma, seu stylo, sive in voce, seu tono, sive corporis gestu. Omnis enim affectatio, & singularitas est ingrata & odiosa.

Finis *RHETORICÆ.*

De Analyſi.

Brevis TRACTATIUNCULA.

IN Analyſi, ſeu Reſolutione videndum,

1. Quis ſit authoris ſcopus in ea compoſitione, quam reſolvere aggredimur.

2. Quale ſit thema; ſimplex an complexum; abſolutum an comparatum; finitum, an infinitum: & num perſona, factum, an res.

3. Ad quod cauſarum genus referendum; ad Demonſtrativum, Deliberativum an Juridiciale: vel num mixtum ſit partim in uno, partim in alio contentum: vel reductivè tantum; quales ſunt Orationes *petitoriæ*, *conciliatoriæ*, *monitoriæ*, aut ſimiles; quæ ad genus deliberativum reducuntur: vel forte ad nullum; cujuſmodi habetur oratio (ut loquuntur) *Didaſcalica*, i. e. ſimplex rei narratio: talis videtur prima *Horatii* Ode.

4. In quo conſiſtat controverſiæ ſtatus; num conjecturalis, finitivus, qualitatis, an quantitatis.

5. Quot, & quas habeat partes; quæ, & cur, deſint.

6. Singulæ ſeparatim diſcutiendæ; & ex quibus argumentationum locis quæque tractetur, dicendum.

7. Unde exordium petatur; an ab Oratore, auditore, re, de qua fit Oratio, loco, tempore, aut ſimili circumſtantia: an auditoris benevolentiam, an attentionem & docilitatem captet; & quibus argumentis id præſtetur.

8. Quibus propoſitio contineatur verbis; an in partes dividatur; quot & quæ ſint, cur hæc illi præponatur.

9. In Confirmatione, qualia ſint argumenta; artificialia

tificialia an inartificialia : ſi artificialia, unde petantur; à locis Dialecticæ cum Rhetorica communibus, an à propriis : ſi à communibus, à quibus ; an à cauſa, effecto, adjuncto, ſubjecto, pari, majore, minore, &c. Si à cauſa, à qua ; num ab efficiente, materia, forma, an fine : ſi ab efficiente, num à ſola an ſocia, principali, an minus principali ; ſpontanea an coacta ; libera, an neceſſaria, &c. atque ita in reliquis. Si à locis Rhetoricæ propriis; num ab honeſto, neceſſario, facili, utili, poſſibili, &c. Quod ſi argumentum ſit inartificiale ; num teſtimonium divinum, an humanum ; ſi illud, num veri Dei, an Ethnicorum tantum Oraculi : ſi hoc, ſcriptum an fama vulgaris, & utrumque, num antiquorum, an modernorum ; paucorum, an plurium ; unius, an multorum, &c. Poſtremò, num argumentum ſit rationale, ſeu à ratione deductum, an ab affectibus & moribus; idque vel dicentis, vel audientis, &c.

10. In Confutatione, quæ ſint adverſarii argumenta ; & quomodo ſolvantur, an retorquendo, conſequentiam negando, &c.

11. In epilogo num ſit *anacephalæoſis*, ſeu recapitulatio argumentorum, quæ ad rem maxime faciunt : an quæ ſit affectuum commotio ; & quis excitetur, miſericordia, an indignatio.

12. An Author quid ab ipſo themate alienum interſerat, & à propoſito digrediatur ; & ad quid & cur fiat digreſſio : an in laudem alicujus viri, loci, &c. & quibus argumentis id tractetur.

Alia plurima ſunt notatu haud indigna, quæ *circumſtantia* potius quam eſſentiales reſolutionis partes appellari debent ; cujuſmodi ſunt hæ queſtiunculæ, *quis* & *qualis* fuerit Orationis Author ; *quæ ſcribendi occaſio*, *quando*, *ubi*, *ad quem* ſcripta ſit.

Poſtremo loco ſciendum, aliam eſſe Analyſin, *Grammaticam*, *Poëticam*, *Mythologicam*, *Rhetoricam*, *Dialecticam*, ſeu *Logicam*. *Gram-*

Grammatica conſiderat ea ſola, quæ ad Grammaticen ſpectant; ſc. vocum Etymologiam, Syntaxin, Orthographiam. Abſtinendum hîc (ſi coram doctis nec puerorum gratiâ fiat) à puerilibus quæſtiunculis, & rebus nauci. Si quid in Syntaxi occurrat ſingulare & ſolenne, in medium proferas; cujuſmodi eſt Græca, aut poëtica conſtructio; aut minus uſitata loquendi forma; ſeu ſententia notatu digna, aut adagium. Hic etiam per *Periphraſin*, aut *Paraphraſin*, difficiliora ſaltem, dilucidanda.

In *Poetica* diſcutienda veniunt, quæ ad poëſin pertinent, carminis ſc. genus, ſcanſio, &c. Hic etiam advertendum, ſi quid ſingulare, & minus uſitatum eveniat; ſi nimirum poëta licentia utatur, vel in conſtructione, vel in quantitate: & cur id faciat. Sed ad *Grammaticam* hæc attinere forſan cenſeas; quandoquidem *Proſodia* in Grammatica contineatur. Per nos liceat.

Mythologica declarat, quæ ſint poëtarum fictiones & fabulæ; unde originem duxerint; quæ vera & genuina ſit hiſtoria, quæ moralitas, &c.

In *Rhetorica* (præter eaquæ diximus) oſtendere oportet, qui ſint præcipui tropi, & ſchemata: ſi ſit *Metaphora* in quo conſiſtat ſimilitudo, &c. ſi *Schema* num vocis, an rei, &c. Hic dicendum, quis ſit Authoris ſtylus, magnificus, tenuis, an mediocris; & cur hoc, non illo utatur.

In *Dialectica* ſeu *Logica*, demonſtratur pariter, ut in *Rhetorica*, ex quibus locis eruantur argumenta; & quomodo ad formam & figuram ſyllogiſticam reduci poſſint, &c. Sed de hoc vid. *Heereboord* in *Burgerſdicium*.

ADMONITIO.

ADMONITIO.

ABunde dictum de *Resolutione*, modo *Compositionis* præcepta calleas: quæ si nescias, quanvis tractatum centuplo majorem perlegeres, oleum, & operam perdas. Idem prorsus hîc artificium, quod in artibus plerisque mechanicis; *Horologica*, *Vestiaria*, &c. Qui in horologio componendo versatus est, singulas ejus partes à se invicem seponere novit. Pariter hîc seres habet. Non ab re quidem esset, praxin subjungere, orationem, inquam, aliquam in suas omnes partes resolutam præ oculis ponere. Sed nobis nec jam lubet nec vacat. Calente calamo hæc scripsi, à viro quodam docto rogatus, Rhetoricâ tantum non impressâ. His fruere, & vale.

FINIS.

ERRATUM.

Schedas hasce jam impressas perlegenti, hoc unicum, quod Lectorem remoraretur, occurrebat erratum. Pag. 41. *lin.* 28. *hæ tres voces*, Supprimi vides copulam, *subjungendæ sunt lineæ sequenti.*

KIRKWOODS *RHETORICK.*